EUSEBIUS

SEU

DE CHRISTIANA EDUCATIONE

EUSEBIUS

SEU

DE CHRISTIANA EDUCATIONE

LIBRI QUATUOR



FLORENTIAE MDCCCXXV.

TYPIS JOSEPHI MOLINII

AD SIGNUM Dantis

BENEVOLO LECTORI

Cum vel ab ineunte adolescentia humanioribus litteris recreare animum consuevissem; procedente vero aetate quod mihi temporis reliquum severiora studia, et gravissima negocia aliquando concedunt, ita impendere instituissem, ut Apollini, Musisque litarem potius, quam desidiae, genioque indulgerem; quosdam de christiane eligenda uxore, et de christiana liberorum educatione versiculos jam plurimo annorum lapsu composueram. De re sacra scripturus a sacris praesertim litteris censui mutuanda, quae scriberem. Quod vero scribentium carmina munus est, ut docere pariter, ac delectare studeant, id mihi potissimum necessarium intellexi, ne rudiori sermone fastidium praeceptis adderem potius, quam amorem virtuti conciliarem. Mihi igitur cogitanti, unde in sacra carmina delectandi facultas arcessatur, nil turpius visum est, quam Religionis sanctissima stultis Ethnicorum deliramentis, et mythologicis commentis coinquinare: in quod Sannazarium praesertim, poetarum caeteroquin praestantissimum, incidisse dolent sapientiores. Quoniam vero sacris litteris, Divino afflante Spiritu, ea inest non modo sapientia, qua nil rectius, vel sublimius excogitari potest; sed etiam tanta sententiarum vis, et imaginum copia, et sermonis magniloquentia, ut quantum humanis divina praestant, tantum haec poetarum omnium praeclariora

antecellunt, ideo tam largo e fonte ea haurire posse existimavi, quibus et versiculos exornare, et severioris sermonis asperitatem temperare, didascalico etiam in carmine, daretur. Hinc decursu temporis poematium emersit tum verbis, tum sententiis, tum imaginibus e sacris litteris depromptis plane differtum; illudque Eusebium *inscripsi, utpote quod bene morati, et pii juvenis non institutionem tantum, sed vel imaginem quodammodo exhiberet.*

Gravissima Amici auctoritas illud typis mandare, et publici juris facere me multum, diuque reluctantem impulit.

Itaque, benevole Lector, te Eusebium meum excepturum, monitum velim, me non eo animo illum edidisse in lucem, ut inde vel poetae, vel morum magistri nomen aucuparer. Sed potius cum probe nossem, Deum O. M. qui mundi infirma eligit, ut fortia confundat, mirabiliores quandoque effectus ex parvis, temnendisque causis educere; ita etiam nunc fieri posse putavi, ut veritates, quas hisce versiculis exhibui, alicujus juvenis animum, ipso faveute Numine, virtutis amore inflammarent.

Illud etiam propositum habui, ut christianis adolescentibus sacrarum litterarum fontes monstrarem, e quibus uberrimam imaginum, ac sententiarum copiam derivarent; atque in eorum ornandis carminibus his felicius, quam Ethnicorum poetarum figmentis uterentur. Quod si aliquando factum esse cognoverim, amplissimum laboris mei fructum me assequutum esse arbitrabor.

EUSEBIUS

AD MARCELLINUM

LIBER PRIMUS

Argumentum

Invocationes. Praecepta ad bonam eligendam uxorem desumpta ab expositione, et declaratione visionis scalarum, quam vidit Jacob. Qualis uxor esse debeat: qualis nutrix, si per se mater lactare nequeat. Partes mariti erga uxorem praesertim praegnantem. Quibus ea oblectamentis sit recreanda; quibus monitis regenda. Amatores mundi, et perditi homines quae his objiciant. Talia refelluntur describendo damna vitiorum, et virtutum bona per egregium Artificem depicta. Infans sibi vitam, et educationem auspicatur, de qua in sequenti libro.

Quid faciat laetos thalamos, et foedera sancta
Conjugii; infantis qua cura floreat aetas;
Qua pueri, et juvenis; patrio mens debita coelo
Quo cultu, studioque bonas fingatur ad artes;
Egregii unde animi, membra unde infracta labore,
Marcelline, canam. Virgo o, sanctissima Virgo,
Cui mare, cui tellus servit, qua Tartara pallent,
Sidera cui sertum, cui sol componit amictum,
Coelicolum Regina potens, cui militat omnis
Virtutum alma cohors, tria dulcia nomina cui sunt,

Filia, Sponsa, Parens quae Numinis una vocaris,
A te principium, atque in te spes tota recumbit.
Tu, cui sunt thalami, sunt vincla jugalia curae,
Tu puerum custos, juvenum dux certa, salusque,
Consiliique boni mater, votisque vocanda
Usque meis, quando aggredior non viribus aequis
Magnum opus, adfer opem, magnisque adlabere coeptis.
Heu scelera instar aquae multae exundare dolemus
Aggeribus ruptis, et volvere vortice leges.
Interea fraus mille modis dulci oblita succo
Offert mortifero spumantia pocula tabo.
Praebe igitur mihi, Virgo, lyram: da pollice chordas
Pellere, et ambrosiae, precor o, continge liquore
Ora tui vatis, monitis ut suescere discant
Difficiles animi, verique cupidine tangi.
Moschiades Sophiae haud maculoso lumine sidus,
O juvenum pater, o patriae, quo sospite nondum
Doctrina, et virtus nondum incomitata recessit,
Nos quando exigua proscindimus aequora puppi
Tot scopulis plena, atque natantibus horrida monstris,
Pande viam, ingentesque animos, et suffice vires.
Virginitas, decus angelicum, sua munera passim
Abnuit: illa silens per lilia pascitur alba,
Purior atque nive intacta fugit aspera tangi.
Pulchrior aurora, quae candida mane rubescit,
Signatum ad fontem vigilat, patiensque laboris
Secretas habitat sedes, sacrisque ministrat.
Conjugium contra, sobolis fons, Numine ab ipso
Inductum terris, auctum mox nomine sacro

Gentes, regna beat: quin agmina lecta piorum
Crebrescunt, vacua implenturque sedilia coeli.
Dum florent anni, patitur res, foedera casti
Si cupias lecti, et pietatem extendere prole,
I, bone, quo tua te virtus vocat; aurea nam sunt
Vincula, quae nectit virtus, et pronuba firmat;
At, quae paeta Venus flores mentita rosarum,
Quae vigil ambitio, vel avara libido paravit,
Ferrea sunt, luctuque gravi, gemituque trahenda.
Virtutum genitrix, alto prognataque coelo
Relligio, tua si colimus, si ostenta veremur,
Donaque sancta, pio juveni, innuptaeque puellae,
Queis amor est thalami, da visum promere cantu
Isacidae immissum sponsam virtute petenti;
Quandoquidem una vales tantum monstrare bonorum.
Invisus Fratri lethum crudele minanti,
Integer at vitae, magno sub Numine Jacob
Per valles ibat securus, per juga Sichem
Natali pulsus terra: secum omina sancta,
Jussaque patris erant haec ultima verba loquentis:
Vade age, Fili mi, et socerum tibi quaerito Laban
Sedulitate tua: Sic vult, cui velle potestas.
Sole sub ardenti emensus jam multa viarum
Advenit Luzam prope: fessus membra quieti
Hic dedit acclinans lapidi caput. En domus olli
Alma Dei domus in somnis, adapertaque coeli,
Porta: Dei iste locus, procul hinc, procul ite, profani.
Ingentes scalae sub amica silentia noctis
Fatali stabant in terra vertice summo

Coelum attingentes: mille angelica ascendebant,
Descensuque gradum referebant agmina mille.
Scalis innixus Deus est, qui talia fatur:
Sum Deus Abrami, atque Isac; in qua modo dormis
Terra hospes, tibi concedam, generique tuorum;
Stellarumque instar, numeroque carentis arenae
Immensum crescet tua gens diffusa per orbem,
Qua sol occumbit, qua oritur, qua proximus urit,
Et qua longinquus vix pigras discutit umbras.
Per te felici nascentur saecula mundo:
Ipse tuo adsistam lateri, ducam, atque reducam
Incolumem, certaque dabo consistere terra.
Sic memorans nutu scalas tremefecit Olympi.

Nunc age, Relligio, dictisque arcana resolve.
Scalarum latera, inter quae ire datum, atque redire,
Adpositique gradus monstrant data munera, per quae
Concessum affectare viam bipatentis Olympi,
Quaeque Dei accendunt humano in pectore amorem.
Vis numerare gradus? Idem numerabis amoris
Dona per omnigenas homines raptare potentis
Virtutes. Divo quis namque resistet amori?
At, precor, adspice, qui complent longo ordine scalas.
Angelico humanam praebent in corpore mentem,
Aut mente angelica vultumque, habitumque virilem:
Non equidem juvenes, juvenum sed more vigescunt
Mobilibus membris alacres, animisque calentes,
Remigio alarum pollent, ut lucis, et umbrae
Antevolent currum, divinaque jussa capessant;
Ast uti pedibus, nec non invisere coetus

Mortales, comitesque viae se adjungere gaudent.
Quantus in ore decor, oculisque modestia quanta!
Nam recte, verecunde, et suaviter omnia tractant.
Sunt caput omnino, surasque, et brachia nudi,
Te quia mente, Deus, tota, quia pectore toto
Ardentes quaerunt, cupiuntque cupidine amoris.
Caetera membra tegit tenuis, formosaque vestis,
Index, quo rebus sensu, et ratione fruendum;
Rebus enim, ut fert conditio, conceditur uti,
Cor tamen abstineat vel in ipso purius usu.
Hoc Deus Isacidem sibi vincla marita parantem
Praemonuit viso, juveni mens acrior unde
Staret in officio thalami tentanda periclis,
Et Dei amor, cui fida Soror bene nata juvando,
Flammis ille ferox, haec nescia litis, et irae
Ferrent nupturo auxilium, pia coepta moverent.
Ignipotens nempe Dei amor, vigil, impiger, acer,
Pectora transadigens gladio violentior, idem
Mitis, suave calens, et quo non dulcior alter;
Illi et amica Soror cunctorum in commoda velox,
Mente agitare ignara malum, excusare diserta,
Ceu sol per lucem, per noctem argentea luna
Assurgunt sponsis geminato sidera vultu.
Apta malas animis tenebras disperdere, stultae
Fraena voluptati innectunt, connubia firmant,
Tristia ferre docent, dant spernere vana, superbis
Uti opibus bene concedunt, meliusque carere.
Nubere quisquis amas, haec contemplare, ducesque
Hinc nactus thalami, confidentissimus esto.

Ergo age, quaere parem, majorem scilicet una
Virtute. Hanc tibi posce Deum, tibi compara egenis
Largus opis: plerumque bono, miserisque ferenti
Auxilium, orantique Deum bona contigit uxor.
Ter felix, si magnam animo, si pectore fortem
Uxorem invenies! Indo pretiosior auro
Egreditur thalamo securo cara marito.
Sedula lanicii, solers et quaerere linum,
Consilio manuum textis operata Minervae.
Facta velut navis cerealia munera portans,
Cum tibi jam pleno subit, institor, ostia velo.
Surrexit nocturna, deditque cibaria servis.
Prudens emit agrum aere purum, uligine dulci
Ac laetum aere suo, et posuit longo ordine vites.
Virtute accinxit lumbos sibi brachia firmans
Robore, gustavit bene parta, vidensque laboris
Dona negat vigilem restinguere nocte lucernam.
Prompta manu tractavit fortia, pollice fusum
Contorsit, tenui ac deduxit stamina filo.
Dextram inopi extendit, palmas rerum omnium egeno.
Invia per brumam sua tecta nivalibus auris,
Aedibus his famulique tepent sub duplice amictu.
Stragula texta sibi, natisque paravit; at illa
Candenti incedit bysso pulcherrima, et ostro,
Ductores inter populi, sanctumque Senatum
Nobilis ad curas quando vir sederit urbis.
Lintea multa facit, quae vendit, plurima et auro
Serica niliacis mutat quaesita colonis.
Fortior huic virtus, decor huic induxit amictum

Extremaque die ridens dabit oscula pacis.
Quam sapiens docuit rectum! quam dulce loquuta est!
Fida domus custos vitam tolerare labore
Instituit. Proles surrexit, et, inclyta, salve,
Salve iterum magna clamavit voce maritus.
Multae opibus viguere, beatior omnibus una es.
Gratia fallax est; vana est, perituraque forma:
Sola Deum venerans laudatur foemina in aevum.
Fructibus hanc stipate suis, portisque sub altis
Gloria scribat ovans „ Opifex est foemina rei „.

Magna equidem, fateor, moliris, tanta virago
Si fuit in votis: Deus hanc affulgere terris
Dat velut insolitum sidus, plerumque pudica,
Et frugi juvenem nupta ditare benignus,
Cui sapiat cor, cui circum sit pectora virtus.
Hac ergo inventa felici munere, primo
Te multa uxoris carae, generisque futuri,
Vir, teneat cura, et nactus quae mollia fandi
Tempora, consortem thalami ore professus amorem
Aggredere. O mihi cara uxor, mihi casta voluptas,
Laetitiae comes, et curarum dulce levamen,
Exoptata dies venturae nuncia prolis
Jam properat. Dabit Omnipotens turgescere mammas,
Lactandi puerum cui tantum injecit amorem.
Spero equidem; tamen infanti si copia lactis
Deficeret, nostra quod saepe aetate dolemus,
Exertura novo distentas lacte papillas
In promptu est nutrix, tibi si, mea vita, placebit.
Illa oculis spectanda nigris, nigroque capillo,

Lata sinu, rosea ore, renidens dentibus albis,
Docta auras cursu, et philomelam vincere cantu,
Casta timore, et amore Dei, in re dives egena
Lanigeras fortunat oves, armenta, domumque,
Et dextra validum pulchra cum prole maritum.
Demissum subito os conjux suffusa rubore
Sic forsan: confide: meo plena ubera nato
Admoveam, naturam et primam, animosque notabo.
Sin vetet, immittatque malum lactare volenti
Rex, hominumque Pater, quae commodet ubera nutrix
Tota placet, stabitque tui, vir gratia facti.
  Mitto alia inter se, quae multa monere vicissim
Proderit. Euge bonas artes praedisce, marite.
Vis magna eloquii; at studium cura abde sagaci;
Ars prima, arte omni per quam videare carere
Simplex, nativo facilis sermone, bonusque
Vere, praesertim in re, uxore, domoque regenda.
Sed vis, ut firmo coalescat gratia nodo
Mutua, amorque faces ardentes ventilet ipse?
Esto fidus amans, esto officiosus, et aequus,
Consilioque bonus divina a lege petito,
Unde homini licet a pravo discernere honestum.
Tu, mihi crede, novus mos, per quem facta potestas,
Per quem sedulitas illa, officiumque colendi
Alterius thalami socias, deterrimus est mos.
Nunc, Superi, queis olim Arni, Tyberisque, Padique
Littora progenie, et studiis placuere pudicis,
Vos, precor, a nuptiis, ut vivant lege marita,
Insidias arcete aliena ruentis in arva.

Dum tamen advigilas, ne partes occupet alter
Officii ut prudens cave, ne suspicio tangat
Te mala: quippe ipsa est monstrum execrabile, dirum,
Quod genitum perhibent vehementi ab amore. Quid inde?
Flebile discidium, thalamique miserrima pestis,
Tristis amor, cui non aspirat mutua virtus.
Contra amor, ingentes quamvis in pectora curas
Immittens quandoque gravi prope saeviat igne,
Mutua si virtus comes est, hac temperat aestus,
Spes jubet esse ratas, et dulcia vota secundat.
Quare virtutem, socii qui foedere lecti
Vivitis, excolite: incipe, vir, nova nupta sequetur:
Mox animos, stimulosque addet; nec crimina solum
Vitato, sed amore Dei meliora capesse,
Conjuge cumque tua mortalia temnere disce,
Et patrio in terris certatim assuescere olympo:
Omnia quae tulit Isacides mitissimus heros.
Eja age, sperne metus vanos, et murmura vulgi
Desipientis: at ipse bonus, cupidusque bonorum
Utere consiliis, poscenti quae tibi amici
Haud renuent, veros quos comparat unica virtus.
Horum ope et uxori solatia honesta parabis;
Danda quidem, ne forte genus mutabile semper
Tristia corripiant austerae taedia vitae.
Sunt tibi divitiae, flaventia messibus arva,
Vitibus et laeti colles, oleisque nigrantes,
Officioque vacas omni, nec honore laboras?
Gaude sorte tua, villaque et rure beato,
Ver ubi perpetuum ridet, ubi purior aer,

Et vitrei lucent fontes, zephyrique vocantes
Te lentum increpitant, si forte moraris in urbe.
Hic bene morati comites, hic candidi amici,
Mensa decora epulis, cytharaeque, jocique decentes,
Venatusque alacres pharetratae cura Dianae,
Musarumque artes, et carmina Apolline digna
Exhilarent animos, pietatem et laudibus ornent.
Est tibi res tenuis, sed non sine villula, agello,
Et loculis, fecit quos cura, et opella forensis,
Ingeniumve, laborve? quod est satis optimum habeto:
Fac, ipsa hoc credat conjux, expertaque verum
Aurea decerpat mediocris tempora vitae.
Nam parvis etiam laribus splendet focus, agro
Exiguoque canunt volucres, atque aura favoni
Ludit, et unda fugax rivo trepidare laborat.
Turba salutantum, famuli, generosus equorum
Hinnitus, currusque gravi stridore ruentes
Non hic abrumpunt somnum, aut fastidia ducunt.
Saepius auricomae Charites se adjungere gaudent
Paucis, et Sophia, et Musae, doctique sodales,
Illustres animae, quales jam protulit aetas
Prisca, ut apes loca amant placidissima, ubi thyma florent,
Echo ubi non habitat resonantibus incola saxis.
Foecundi interea incipiunt decurrere menses
Exacto dulcem laturi tempore prolem:
Quare, vir, tibi sint curae bona gaudia mentis,
Vitalem recreant foetum quae matris in alvo,
Et sapiens, quod forte mali, quod forte nefasti
Possit non prudenti occurrere, quodque pericli,

Visuque horribiles formas, artusque caveto.
Quin pictae tabulae speciosa, et honesta monentes
Forma oculos, virtute animum solentur amica.
His quidquid bene nupta cupit super addere cura.
Felix, cui vivit bene, pulchre, et suaviter uxor!
Hoc opus, hoc studium, hoc, vir, perfice qualibet arte,
Sed quae conveniat virtuti; hinc ludrica mitte,
Moresque ambiguos, mundumque horresce bilinguem,
Et plebs quidquid amat levis, ambitiosaque pubes.
Namque, ut cuncta brevi complectar carmine, virtus
Vana fugit, mundi illecebris atque aspera bellum
Indicens, fruitur felix sine crimine honestis.
Tranquille haud aliter vivas: mens vana sequendo
Sic erit illa sibi, ut mulier rixosa marito.

At solitus certare dolis, nugisque canoris
Haec negat inflatus buccas Nichilonius ambas,
Atque ita composito fallax delitigat ore.
Cum bona pars hominum, quae vulgo sunt in honore,
Sectetur, quaeque his contraria, temnat, amice,
Si canere haec pergas, curisque urgere maritos,
Infelix operam perdes, coeptumque dolebis.
Vita brevis, cito carpe rosas; lux crastina nec te
Sollicitet, sed vive tibi, sed linque severa,
Quemque suo et patere ingenio traducere vitam.

Bellua num loquitur, vel cui ratio addita menti est?
Haec tamen, atque alia obtrudunt infanda profani,
Sed qui stare negent dictis, queis credere fingunt.
Nam si talibus his aut vis inopina pericli,
Aut damnum ingruerit, nosces mentita loquutos.

Ut facto mea dicta tuo, Rufille, probantur!
Parte domus Musis sacra, pictisque figuris
Ornata haec mea Moschiadi de more legebam,
Quum subito incursu Rufillus inania mundi,
Deliciasque levi nimium tunc corde sequutus
Occupat incautum. Urbano hic veniam ore precatus
Scripta manu arripuit, legit, risuque maligno
Haec crepat insultans: sapis ut bene! Te latet unum
Jam caudam trahere, atque oculis, digitoque notari.
Nam morosus, iners, vitae et campestris amator
Dum solus, cautusque domi cum uxore, et amicis
Vix tribus, abstineas licitis quoque, tota juventus
En ridet, mussantque senes: ego miror acerbum
Ingenium, sed quod nolim exagitare: relictum
Est cuique arbitrium vitae, si vivat honeste.
Cum tamen hoc miserum vitae genus, esse beatum
Affirmes, et mente, boni, contemnite mundum
Declames, vera hinc virtus, hinc gaudia manant,
Tunc facili has mitto ampullas contemnere risu,
Et clamo, unde venis? Non haec sunt temporis hujus,
Nam regina hac tempestate sedet Sophia, et lux
Fulgurat, ardentem ratio dum lampada quassat.
Quid? Veris asper monitis parere recusas?
Contemnere miser: te famaque nulla manebit;
Quin imo effoetae vires, et sanguis hebescet
Ante diem, imminuesque domum languore sepultam,
Uxoremque bonam ad prava, impermissaque duces,
Illa negans, quae aetas poscit, concedit et usus.
Mortales sumus, in terris coelestia regna

Nec transferre licet: satis est bene ducere vitam,
Ut multi in medio versantes turbine mundi,
In quo cum simus, decet hic sperare salutem,
Austeri nimium quin desiliamus in arctum
Pallenti, servorum instar, formidine ducti.
Dira cucullati minitentur monstra magistri,
Qui coelum, terramque gravi terrore fatigant.
His stupeant alii, gens credula, dignaque falli,
Non ego, cui non pro sale inest mens corpore, diva
Cui ratio arrisit, verique afflavit amorem.

Eloquio sic ille ruens non senserat atram
Contraxisse polum cogente aquilone procellam.
Vix tamen haec fatus, cadit alto scissa fragore,
Perque vias revoluta ruit torrentis aquae vis.
Terra tremit tonitru, foedaque micantia luce
Horrendum feriunt vicinas fulmina turres.
Tum vero ille puer Sophiae, irrisorque minarum,
Ille is, cui non pro sale inest mens corpore, diva
Cui ratio arrisit, verique afflavit amorem,
Turbari, inde silere, inde expallescere, demum
Incepit tacito suspendere vota labello.
Obstupui, et reputans stultae mala jurgia linguae
Iratum extimui coelum, insolitamque ruinam:
At sensim posuere minae, enituitque serenum.

Talia Moschiades meditans pia lumina coelo
Jampridem extulerat: tandem ad nostra reversus,
Praefatusque Deum placido sic incipit ore:
Me terror melius, qui noxia pectora tundit,
Et locus hic studiis, et moribus aptus alendis,

Perque oculos pictura docens tua dicta refellunt.
Perge timere Deum, exorare et disce precando.
Interea redeunte vigent quae sole figurae
Nonne vides, longo descriptae ut pariete vivunt?
Tentamenta operis magni pingenda Myronis
Porticibus multa hic cum libertate notanda
Doctus fecit Agas, meliorque Cebete magister.
Continuit dextra juvenem sic fatus, eoque,
Lumina quo posset picturis pascere, duxit.
Invidus in gentes sedet hic Regnator Averni:
Stant circum sine mente mali, septenaque monstra.
Virginis os, simulantque viri; sed cauda, sed ungues,
Cornigerive pedes monstrant portenta ferarum.
Stat versare dolos mulier doctissima; blanda
Atque sibi faciens vultus, habitusque modesti
Simplicitate fidem cultrum sub veste recondit.
Siccine gens humana perit? Ne crede loquenti,
Crede oculis, moresque vide, sortemque malorum.
Gloria sublimi volat axe: vir assidet alto
Corde minans terris nova fata: ruina quadrigae
Imminet: igne rotae fervent, et fumus anhelat:
Moestae in conspectu salices, taxique sepulcrum
Vile tegunt; super atra gemit sparso agmine cornix.
Ille ferox humerum inflexa cervice sinistrum
Jura negat sibi nata; tenet metuendus at ense
Dum capulum dextra, atque nihil non arrogat armis,
Quid? cadit ante diem gladio transfixus acuto.
Dives avarities saltem dabit ocia; squallet
Trita chlamys miserae, quin pes vagus exit aluta:

Dura sibique, suisque haud laeta agit agmina: vultu
Lumina dejecto pars defixere reposto
Auro: oblita gemit conjux, et sordida proles.
Pars clamosa fori, pars bellica castra sequuti
Quam vellent inopis partes! Furialia membra
Horrent sub mortem, rigidique in fronte capilli.
Segnities pulvinar amans ibi pallet aquoso
Corpore: praecinctam altilibus bacchoque rubentem
Non procul ingluviem torquet nodosa podagra.
Contra alii indulgent choreis: bene terminus adstat,
Flant bullas pueri, tempus subridet amarum,
Et cithara ludens citat horas plaudere saltu.
Luxuries illuc molli resupina vagatur
Pilento, et pubem cupidis venatur ocellis.
Flamma vorax serpit venis, et corpora tabent:
Ulcere corrosas nares, semesaque colla,
Ilia fracta, gravesque pedes ne horresce tueri,
Neu tot praevalidae extinctos sub flore juventae.
Invidia haec videt: ipsa malis laetabilis una
Ridet atrox: sic ora patent magis horrida: felle
Lingua viret, liventque atra rubigine dentes.
Commodus in vitium miscet quadrata rotundis
Mundus iners, et honesta parat velamina culpae.
Nonne hac arte mali mutantes nomina rebus
Audent criminibus pulchras inducere vestes?
Indignata facem ratio praetendit; at ortum
Hinc jubar undanti fumus sub vortice torquet.
En scelerum, en mundi ter lamentabile regnum!
Illic nulla quies, non ordo, modestia nulla,

Quin habitant curae, quarum deterrima vellet,
Nec quit avernales non expallescere poenas:
Vis fit, et ante oculos Phlegeton incendia volvit.
Majestate viri, dictisque, et imagine tanta
Perculsum angebat juvenem mens conscia culpae.
Cui senior flecte huc acies, melioraque cerne.
Qualis sol aestate nova flammescit ab Indo,
Surgit nube cava radianti lumine Jesus.
Parte crucem dextra divini pignus amoris
Anteferens docet ire viam bipatentis Olympi.
Dulcis aquae in bivio sacer hic fons. Tabe peresum
Ille caput lavit: alma salus viget ilicet ore,
Et nulla extincti apparent contagia morbi.
Horrent illuvie, vinclisque onerantur iniqui:
Brachia primus erat, velut hi, post terga revinctus,
Sordidiorque luto, et fuligine turpior atra.
At postquam sacro pandit commissa Ministro,
Cerne ut liber eat, candore et lilia vincat:
Cerne sibi ut dirus divellat cornua Daemon.
Interea Jesus culpae ditione subactos
(Stat miris mala turba procul repetita figuris)
Invitat, tenditque manus: miserantis amice
Est vultus, vultusque Dei. Si humana suescat
Gens longo vitiata malo, quid surdius ipsa?
Paucos, vana quibus, nullos quibus impia mens est,
Aut ferme nullos dare terga tuere nefastis.
Est puer annorum centum (1): ore, et moribus anceps
Haesitat: haud circum paleas volitare futuri
Curat signa mali: Jesu non asper, at illi

Nec docilis debet durae ludibria morti:
Pone dolosa venit, telum et fatale coruscat.
Suave boni tolerare jugum secus ore videntur
Laeto parendi studiis ardescere, dulcem
Seu jussi servare domum, seu linquere tendant.
Turba marita frequens magno sub fasce laborat
Parte illa: angelicas formas induta, habitumque
Huc onera attollit; subit illuc mutua virtus:
Gaudent hi, nec acerba putant tolerata vicissim.
Omnibus unus amor, cura omnibus una recursat
Velle, quod alter amat, cultuque, animoque modesto
Spernere vana, suisque pios inducere mores.
Excubat ante domum prae majestate verenda
Relligio: stupet hanc soboles, trepidique parentes
Suspiciunt: dextra ostentans tenet illa coruscum
Fulmen: gestat opes gremio, palmasque sinistra.
Secessu hoc viduae incomptis per colla capillis,
Ceu violae in silva, sublucent murice nigro.
Quo latuere magis, major data gloria. Surgunt
Bethuliae hic turres: trabe longa e moenibus horret
Turpe caput: jacet in castris sine nomine corpus,
Assiriaeque illuc acies, ceu pulvis ad Austrum.
Sed quos divus amor rapit ire per arcta viarum,
Consiliante Deo recti compendia quaerunt.
Virgineus chorus en plantis talaria nexus,
Foedere cumque oculis pacto, ne cogitet ultra
Jura pudicitiae manibus fert lilia plenis,
Reginaeque suae laudes, pia votaque fundit.
Inclyta Virginitas, per te sine caede triumphat

Palmiferae hoc Senior deserto in litore Pathmos:
Ipse aquilae pennis ad coelum, agnumque volavit,
Fata, hominumque vices, atque ultima tempora novit.
Insedere locis illi, castra unde malorum
Despectant, populosque tuba, excubiisque tuentur.
Lecta phalanx; confide tamen; namque ordine ab omni
Aspicis heroas virtute ad grandia natos.
Ante Sacerdotes aurata in veste; tiara
Ille, sacris alii vittis, ostroque renident.
Sunt quoque sceptriferi, fortissima pectora, reges,
Et populi proceres, et plebs de gente minuta,
Angustaque viri sub paupertate potentes.
Et dubitabis adhuc? Juvat esse virum: ecce trophaea:
Nosce catenato liventia crimina collo.
Spe dejecta ferit se stulta superbia telo:
Haeresis huc expulsa fugit, cui foeda meretrix
It comes, atque fames lucri, et discordia demens.
Culparum capita ut magno cessere tumultu,
Jam Themis alma redit, castae et cum carmine Musae:
Educat ingenuas pudor artes, corpora firmat,
Et labor est iterum, simplexque in honore supellex;
Nec cythara, at colus, et fusus pro dote puellis.
Quin virtus audet laetas celebrare choreas;
Nuda fides, purae et pax dividit oscula turmae,
Signaque flammescunt in frontibus aurea vitae.
Sic coeli verso panduntur cardine postes.
  Picturam haec memorans Senior monstrabat utramque;
Hinc subdit: studia haec virtutis ne aspera credas;
Mollia namque Deus fecit: sub imagine parva

Hoc brevis edoceam; memori tu pectore serva.
Pennas ales habet (2), pennis simul ipsa gravatur;
Hoc sed pondus habens agilis fit pondere ab ipso;
Quin gravior penna, graviorque ingentibus alis
Doctior ire vias solis, coelumque profundum.
Remigium alarum si vis decidere, quale est
Pennarum pondus cadit; at cecidere volatus.
Mens fuit exonerare avem, humi exonerata recumbit.
Alas redde: redit cum pennis integra virtus.
Digna Deo haec Christi data sarcina, nam altera quaevis
Pondus habet: sibi sola leves haec suscitat alas.
Ergo, fili mi, per ego te vulnera Jesu,
(Implebatque sinum lacrymis haec verba loquutus)
Has te per lacrymas, vitamque tuam, anxia cura
Conscia quam culpae oblimat, quam spreta remordet,
Noli, exoro, sequi malesana, et inania mundi.
Ut flos vita est: irreparabilis hora propinquat:
Nobiscum lex est divinaque, amandaque, coelo
Non sita, non citra mare, nemo ut dicere possit,
Quis potis oceani magni transcurrere fluctus;
Quis coelum superare, inde et mandata referre (3)?
Vita, bonumque, et contra mors truculenta, malumque
Est velut in manibus: tu prudens elige vitam:
Alma fides ducat, firmet spes; vana recedent
Ut nebulae adflante Euro; divae particula aurae
Mens, ceu aquila assumet pennas, et firma volabit.
Sic fatus oculos, animumque refixit Olympo,
Et caput irradians circum lux clara refulsit.
Tunc equidem, nec vana fides, delapsa per auras

Gratia, sola potens vel ferrea corda domare,
Multa reluctantis juvenis praecordia flexit.
Is primo erubuit, flens demum, et pectore ab imo
Dans gemitum, fateor peccasse, ignoscite, amici;
Arripiensque manus errantem ducite, dixit.
Sectanda ex illo coluit, vitanda refugit,
Mente hilari viguit, sanaque in corpore sano.
At quo, Musa loquax? Jam non revocabile tempus
Effugit: en infans vagitu noscere mundum
Incipit: hinc petere auxilium, et ridere canenti.

EUSEBIUS

AD MARCELLINUM

LIBER SECUNDUS

Argumentum

Invocatio. Nato infanti quae prius debita pietatis officia: quae statim illi praestanda, quaeque praecavenda valetudinis gratia. Signa internoscendi tum corporis habitum, tum ingenii naturam. His in infante exploratis, traduntur praecepta roborandi corporis, cujuscumque sit habitus; contraria diluuntur. Laudes veteris Italiae, ac praesertim hodiernae, et cohortatio ad frugalem educationem. In alimentis eligenda simplicitas. Recte instituendi animi cura, et praecepta. Instillanda pietas: docenda studiorum elementa sine infantilis animi offensione. Puerili aetate jam accedente quibus idem modis regendus. Liber absolvitur tristes malorum puerorum exitus describendo.

Nunc age: prima cano subeuntem limina vitae
Infantem: hinc doceam, ut melius durescere ab annis
Incipiat teneris: sub relligione verenda
Imperiumque pati, studiisque adolescere castis.
Virgo Parens, Mundi Regina, vocataque nostri
Stella maris, sine Te pelago committere vitae
Non ausim infantile caput: Diva, annue votis,
Ingeniumque, animumque illi, viresque secundas

Suffice: sit tuus, et tua sint, quae carmina dicam.
Hauserit ut vitae primas infantulus auras,
Hunc offerre Deo sit grata, puerpera, cura.
Sic imitare bona felicem prole Parentem
Bernardi. Vix filiolos haec lucis in oras
Egressos Jesu porrectis obtulit ulnis
Fundens vota pia; his Deus arridebat ab alto.
Nam septem geniti magnis virtutibus omnes
Aucti concilia inter fortunata piorum
Divae consortes naturae ad gaudia vivunt.
Fons sacer interea veteris contagia culpae
Perfusa caput infantis super abluat unda,
Continuoque, simulque sonent sanctissima verba,
Tergeminum queis tunc in vota vocatur, et Unum
Numen, queis alto miscentur Tartara luctu
Grande sacramentum, et vocem execrata potentem.
Exilit effuso de fonte Puellula culpae
Nescia, et infantem candenti velat amictu.
Reddendum hunc sine labe Deo servare memento;
Sic ait oscula delibans, colloque pependit.
Angelus arridet servans data munera Custos,
Excubiasque parat, curamque, artemque tuendi.
Ergo nominibus spretis, queis fabula claret,
Tunc nato pia sit cordi dare nomina: multum
Nam refert quo nomine quisque notetur: amamus
Nostra omnes; fugito bonus hinc dare nomen amandum
Flagitiis notum, vel non pietate verendum:
Virtutum admoneat potius vox ipsa vocantis
Nomine, quod pudor, atque amor incestare vetabit.

Quin etiam, quem ipso sub nomine diligis, Heros
Afferet auxilium, casusque avertet iniquos.
Sponsorem vitae, adscitumque e fonte salutis
Patrem alium virtute juvat, precibusque potentem
Addere: opum ditem non laudo; sanguine clarum
Vanum est: quaere pium, et columen virtutis habebis.
Sterne sub haec bene munita incunabula pupo:
Sic vigor innocuo dabit exultare licenter,
Quem mox ridentem pressabit ad ubera matris.
His rite ante actis caveas, ne fascia quaevis
Mollia multiplici circumdet corpora nexu,
Pectus praecipue: hoc ratio improbat; increpat ipsa
Natura iratae similis, similisque minanti.
Sponte sua melius veniant sed membra, labori
Nata pati liquidum jam discant aera tecta
Subtenui inducula, fluitanti et cyclade, ne mox
Illa ferox aquilo, aut penetrabile frigus adurat.
Aere durantur, vimque, incrementaque ducunt
Multa: genus puerum at magis acre vigescit ab illo.
Aere nam puro sanguis fit purior, atram
Seu faecem attenuet hausto medicamine vitae,
Seu nebulam exhalet tristem, fumosve volucres,
Unde alias cerebro durus accederet ictus (4).
Aere sic cera albescit, sic mala rubescunt,
Sic moritura novo scintillat lumine taeda.
Hinc circum alta premat pura, ac aequabilis aura,
Vitae primum ingressus iter qua vescitur infans.
Munditie puram hanc servato, et flamine venti
Immisso undique per cellas, et aprica domorum.

Tales non invita aedes invisere gaudet
Alma salus morborum abigens mala semina, secum
Lususque, et resono plaudentes ore cachinnos,
Suavis et adducens placidissima munera somni.
Somne, veni, infantemque recenti lacte madentem
Excipe, cimmerias super utraque tempora quassans
Verbenas, lentoque sopora papavera succo.
Numinis aeterni dono mortalibus aegris
Nam concessa quies magis est infantibus apta;
Haec noctuque, diuque tenellos educet artus
Sponte: trahunt sed quae invitos medicamina somnos
Arce, et nutanti prohibe incunabula motu.
Novi egomet puerum longa assuetudine motis
Concussum in cunis transverso ita pellere jactu
Mox caput in somno, ut toto expallesceret ore
Attonitis oculis mane, horrentique capillo.
Tundebat tenerum jactatio dira cerebrum,
Et labefacta malo afflictabat colla labore.
Dulce cane, infantem et placidis sopor obteget alis.
At prius infantem ad munus quam fingere vitae
Incipias, membrorum habitum cognosce, animique
Ingenium. Natura haud omnia possumus omnes;
Quique tamen melior, quandoque fit optimus arte,
Quae vitium emendans sub prima accesserit hora.
Tenvia membra, nimis procera, albentia, circa
Pectus et arcta notant gracile, et sine robore corpus;
Si coma praesertim est flavae lanuginis instar.
At contra subfusca cutis, densique, brevesque
Artus, exiguumque caput, nigrique capilli,

Et latum pectus, magna ossa, humerique ferocem
Progeniem ostentant, qualem fert romula tellus.
Quae media intersunt praestant medio illa vigore.
Ipse merens animus in corpore, si bene cernas,
Fit quibus abripitur studiorum splendidus index.
Saepius arridens infans, circum oscula pendens,
Blandulus, atque animis, oculisque loquacibus ardens,
Et vocem ad cantum cytharae, festivaque jactans
Membra, voluptatis praebet mala signa futurae.
Pallor cui notat ora, riget frons aspera, acutus
Est nasus, vox dura sonat, minitansque, repulsae,
Atque morae impatiens irascitur, aut gemit, audax
Rixatur, repetitve fero minor impete pugnam,
Huic acri sub nare sedet deterrima bilis.
Ad somnum pronus, cara, exoptataque poscens
Per nutum, sermone piger, tarda et gravis aure
Sensus ignavi, et lentissima pectora monstrat.

His animadversis, unus qua quisque regatur
Cura infans, quam sint habitu discrimina multa
Corporis, atque animi doctrina, usuque tenebis.
Jam ne quid nimis, edocuit quod Pittacus unus
Ex septem, offert se primum, indulgentia donec
Non trahat in vetitum. Namque ut mala vipera tactu est,
Sic culpa. Hanc praeceps fugito, prudensque caveto.
Est modus in reliquis, ratio quem ponat honesta.
Sic vos consortes thalami fortunet opima
Prole Deus, illi incolumes sic roboret artus,
Quae vobis canimus liberrima more probate.
Is fidens, habituque puelli, animisque parentum

Quid faciat laetum infantem, quid corpora firmet
Paucis expediam. Ignavo velut unda recumbens
Pallet foeda lacu, puerili in corpore languet
Haud aliter vis, quam nimia indulgentia matrum
Mollitia, lentoque sinit torpere veterno.
Quique parens genus inde suum, sit paupere censu,
Divitiisve redundet, ita educet, ut solet agri
Felicis cultor senii spem educere prolem.
Vera cano: veris favet experientia dictis.
Aspice ruricolae genitricis ad ubera ut infans
Assiliat. Caput hic nudus nudusque lacertos
Brachiolis tenuem ludens diverberat auram.
Ore, oculisque nitet, insultat corpore toto,
Et micat indomitus: certa hinc vestigia bimus
Signat humo, paribusque fuga colludere gestit.

At natura dedit non omnibus omnia posse.
Recte. Quid tamen inde? Bonis anne artubus infans
Fit gracilis, quia dives opum, quia nomine clarus?
At rursus, prope montano obdurescere cultu
Non animi ingenui est: sat habet sors nostra laborum,
Atque aerumnarum, saevo quin frigore, et aestu,
Duritieque juvet caros affligere natos.
Heu nimium inversi mores, inversaque fata!
Non his principiis crescebat mascula proles,
Itala dum stabat res, terrarumque, marisque
Jura dabat domina, acres postquam in bella cohortes
Exacuit, domitum et substravit classibus aequor.
Graecia luxuriem laurentibus intulit arvis,
Divitiaeque Asiae vires fregere latinas.

Hinc ubi Gens victu, studiisque asperrima vitae
Undique hyperboreis toties excita latebris
Italiae incubuit bellatrix, Eridanus rex
Fluviorum undantes romano sanguine campos
Horruit, ipse Tybris alto stetit agmine aquarum
Rauca dolens, congesta virum et vix corpora volvens.
Nunc licet italicis armorum gloria terris
Cesserit, atque aliis crescat laus bellica, tellus
Gratior Italia non est tamen altera coelo.
Nam laetas praeter segetes, vitisque, oleaeque
Munera, et hoc purum coeli spirabile lumen,
Fontesque, et fluvios, pontumque utrinque sonorum,
Litora et assiduo viridantia gramine, nullo
Sylvasque, et nemora incursu metuenda ferarum;
Ingenium Deus ipse Italis dedit, ipse rotundo
Ore loqui, ipse animo moliri grandia quaeque,
Et canere heroas dulci modulamine, et arte
Pingere apellaea, atque imitari e marmore vultus.
Oppida quid memorem, atque urbes? Hic magna domorum,
Templa hic mole ingenti educta sub astra: figurae
Mille intus Superum, argentumque, et marmor, et aurum
Non alios melius visum splendescere in usus.
Roma, mihi ut crescunt animi tua sacra tuenti!
In medio ara Dei major, sanctusque Senatus
Murice spectandus fidei teste, atque Sacerdos
Magnus, cui triplicis regni concessa potestas.
Nil moror imperium, et populos fraenare potentes;
Nam mortalia regna vices, sua fataque noscunt;
Sed supera alta aperire, et claudere; sed prece sancta,

Muneribusque piis jura exorabilis aulae
Flectere, lectae ubi dant poenas sine corpore vitae,
Regnum est, quod poterit vis nulla abolere, neque aetas,
Nec conjurati firmam rescindere petram,
Quam super Omnipotens molimina tanta locavit.
Salve, sancte Parens, salve, bone Pastor ovilis,
Et sueta virtute Italos, mundumque tuere.
Vos, Itali, audite: e multis vix patribus unus,
Aut vix alter erit; vix una, aut altera mater,
Quae sinat infantes molli tabescere cultu,
Si decus italicum, si robora prima virorum,
Et fortunatae subeant telluris honores.
Non frustra Omnipotens dedit haec. Cadet itala virtus
Mollitia? Tot dona Dei vis deteret oti?
  Nec gracilis dum infans exili corpore crescit
Sis animi dubius tenues durare lacertos
Cultu, quem monui; in teneris durescere totum est.
Attamen haud egomet poscam glacialibus undis
Filiolos mersare, severo nupta marito
Ut solet ad ripas Thamesis, Rhenique bicornis.
Dum ver purpureum ridet, auraeque tepentes
Spirant, lactentes miti tunc perlue lympha:
Quaque pedes, surasque die, vernique sub hora
Temporis inceptum cunctis iterare diebus
Ne pigeat, dum etiam rivi stant frigore, at unda
Interiore reposta domo minus algida mordet.
Sedulus articulis hinc loto abstergere guttas
Linteolo et propera, carpat vis ne uvida nervos.
Ocyus hoc pacto gressus glomerare valentes

Parvulus incipiet, praesertim lacte fruatur
Si longum, abstineat vino, nec pocula noscat,
India quae insomni infecit nigrantia succo,
Et sale mellito tristem fallente saporem.
Nam quidquid nervos ferit, impulsuque lacessit
Acri, aut moto inflat pueriles sanguine venas,
Hoc metuas, fugiasque velim cane pejus, et angue.
Aestas det melius cerasos, et dulcia pruna;
Uvas autumnus flavas, et mitia poma.
Mensa parum carnis, panis concedat abunde.
Namque Ceres infantum altrix, puerumque, virumque est.
Saepae hoc Maeonides verbo conclusit in uno (5):
Hoc docuit Cous medicae prope conditor artis:
Quem fera mors timuit, doctis quem vivere chartis
Moeret adhuc; grajae quamvis inscitia linguae
A vero monitum sensu detorsit iniquo (6).
Dii tibi dant meliorem? Aude majora, ita vero,
Ut valeat ferre imperium, imprudensque laborum
Paullatim subeat onus acer, et impiger infans.
Sed frustra impendes firmanda in corpora curam
Ni simul incumbas sceleratam avertere labem,
Quae nostrum cujusque animis magis effera gliscit.
A tenera hanc bello insequere, et compesce catena.
Debilis est primo, post paulo at adulta moranti
Insultabit hero, ut non infelicior alter,
Sub quo mature non senserit illa lupatos.
Exempla imperitant, tamen hac lege, ut bona prosint
Sensim, prava statim noceant: ita conditio fert
Humana in vetitum praeceps, pede clauda ad hones-
tum.

Cereus in vitium infantiles dum subit annos
Pupulus in formas centum mutabilis hora,
Consilii, et rationis inops, ut forte videtur,
Cum spectes temere suscepta, et inania verba,
Pravi laeditur exemplo, pestemque receptat;
Conscia nam recti, atque mali mens intima et illi
Vivit nunc oculis, nunc ore diserta rubente.
Hinc orato Deum supplex, multumque caveto,
Ne quidquam pravi tuus unquam aspexerit infans:
Quin animum visu bona alant, nova matutinum
Germina ros veluti, foecunda vel aura favoni.
Quid rudis imperium sonat, indomitaque puellus,
Quas sentit cervice ferox detrectat habenas;
Sponte regi at patitur ceu injussus saepe tuendo
Quae magis opposita vitium virtute retundunt;
Lene rudimentum per lumina namque bibit mens.
Casta, et honesta videns horrescit turpia: bilem
Difficilem lenit ratio mitissima vitae:
Et labor, assiduo et properans industria gressu
Torpentes acuit sensus, mala et ocia rumpit.
Quo circa perdes operam spe lusus inani,
Si custode remoto infanti aequalibus uti
Aut famulis liceat. Famulum gens garrula, adulans,
Ad vile apta lucellum, et mercenaria vincla
Ingenuos animos corrumpit subdita ventri.
Aequales lascivire, inconcessa docere,
Aut incompositi saltem colludere gaudent.
Sic primum clauso crescat velut arbor in agro
Fortis ab exemplo, et specie inflammatus honesti

Infans: mox ubi scit melius jam reddere voces,
Et certo pede signat humum, quae dicere par est,
Audiat. In primis Trinum veneretur, et Unum
Agnoscens Numen: quae relligione vereri,
Quaeque adamare decet teneat recolenda per aevum.
Nec timeas teneros haec fastidire puellos,
Si bonus, ac tempestivo sermone benignus
Dulcia divinae percurras munera legis,
Perque sacram historiam, teneri et primordia mundi
Ducas. Unde malum terris ab origine prima
Discent per se ipsi: discent spes unde, salusque;
Degeneresque animos, ereptaque regna dolebunt:
Adam et multa super, super Eva multa rogabunt:
Nunc an erat data hyems anno: nunc torrida an aestas,
Seu potius homines ver excipiebat amicum:
Quale solum nunc, et feritas nunc quanta animantum,
His gaude: haec etenim ingenii sunt signa sagacis.
Hic tibi sit curae sanctos recludere fontes
Humanae ignotos Sophiae, at quos ipsa docente
Relligione probat Sophia, et ratione tuetur.
Sic tamen edocuisse velim, ut praecepta magistri
Non audire putent, cari sed verba sodalis.

Parvulus hoc pacto, quamvis monitoribus asper,
A te audita petet rursus te dicere: dicas:
Ille memor bene narrantis pendebit ab ore,
Dum sermone brevis, concinnus et esse labores.
Cum narres adverte quibus praesentior aures
Intendit: quae negligit, aut magis improbus horret.
Deprendes ita naturam, sensusque latentes:

Mature sapiens ita germina prava revelles.
Apte etiam historias referes peccare vetantes.
Quin imo allectus rerum splendore, legendi
Scribendique puer jam jam volet esse peritus.
Hoc erat in votis: stimulos ex re adde volenti.
Conspicienda loco prostet descripta tabella,
Litterulas licet unde omnes addiscere: plane
Hanc ardens animi poscet, Cadmique nigellas
Filiolas digito ostendet sua nomina dicens.
Mox chartam, et calamos cupido concede, tenella
Scribere et incerto tentabit dextera tractu.
Litterulas pravas hinc emendare, et amice
Excusare, bonas multum laudare memento.
Parva leves capiunt animos: munuscula, nugae,
Festivum eloquium, et nulla inclementia vultus
Triste magisterium commutant munere dulci.
Plagifer hic aures puerorum vellere doctus,
Alternasque manus in verbera poscere sic me
Increpat ultro: o bone in ludo pendentis habenae
Infans haud metuet? Surdo cantabis asello,
Irrita vel tendes lascivo retia vento.
Me purgare licet? Scutica haud ego plectere culpam,
Sed mendum, studiique veto fastidia: culpa
Pestis acerba animi ipso et compescenda flagello;
De genere ast alio peccat cerebrosa quod aetas
Primula, judice me, ferula reprehendere iniquum est.
Sed ferula est opus. Haud moror: utere; at utere raro;
Sponte at confesso veniam indulgentia poscens
Grata superveniat: tandem quoad ira residat

Corrector culpae differto infligere poenam,
Ne scutica omissa, arripias immite flagellum;
Ne vitio infensus puero videaris acerbus.
Debita flagitio postquam deferbuit ira,
Tunc ferulam invito similis, similisque dolenti,
Sed capiens tamen, infantem praefare benigue:
Aspice, fili mi, quam duro munere amici
Contristes animum: dolet heu, semperque dolebit
Haec metuenda tuae debere piacula culpae;
Debeo at infelix: nolo te perdere amando.
Insonti mea quam melius tibi dona ferebam!
Haec ubi cum gemitu de pectore fuderis alto,
Justum, propositique virum te ostende tenacem,
Mitis at ingenii, sine et ira verbere in ipso.
Singultu interea, et fletu miserabilis infans
Culpam execretur, certae et formidine poenae.
  Sed meliora ferat Deus: ille petentibus, ille
Annuit, et pleno diffundit munera cornu.
Ergo saepe roga, ne culpa hunc fallere possit:
Hic quoque fac rogitet, coeli Dominamque potentem
In sua vota vocet. Discet sic vivere caste,
Sic animi laetus gaudebit munera obire
Debita: virtutum hinc chorus, aligerique Ministri
Jamque suo excubias ponent, munitaque castra,
Sub quae tartarei circumgemet ira leonis
Nequidquam insidias, nequidquam bella moventis.
Dulcis, et alta quies ubi membra sopore rigavit,
Surgens mane infans oret. Pars prima diei
Optima: danda igitur precibus, studiisque subinde.

Dona laboratae cereris, et mitia poma
Ante scholam stomachum placent, foveantque; peracta
Hac demum, atque dati perfecto munere pensi,
Indulgere jocis, genioque, pilaeque licebit.
Mensa hilaris reparet vires: post lusus, et umbra;
Hinc studium; rursus schola; dein pia vota sequantur,
Excursusque vagi per amoena, et aprica locorum.
Saevit hyems damnosa? Domi sint ludrica, lususque
Ingenui: e tabula ut pictos ediscere mundos,
Majora effictoque globo vaga sidera nosse.
Infans hoc melior, ducens quo laetior annos,
Candidus alloquio, simplex praecordia vultu
Intima consuescat aperire, et libera fari.
Hoc opus, hoc tibi pervincendum. Ita quisque virorum
Crevit, Aristides ita, prima ita, et ultima Thebes
Gloria dux fortis, tot magni e gente latina,
Et genus omne pium, magis ex quo lux data major,
Relligioque, fidesque caput toto extulit orbe.
Praeterea cultor legis divina docentes
Mandata, atque animos coelesti nectare alentes
Suspiciat, tenerisque bonus veneretur ab annis.
Novi hac tempestate licentius ire per ora
In sacros maledicta viros, sancteque togatam
In gentem antiquis non exaudita latinis.
Ergo qualibet efficias, ne haec audiat infans;
Sed pia, sed vera auribus instillare memento,
Historiasque graves: puerum, puta, ut ore ferino
Spretum ob Elisaeum misero data corpora letho.
Plenius exponas ut rem certe ille rogabit

Insolita magnae commotus imagine cladis.
Poscenti bonus indulge, atque altaria Bethel
Impia praefatus, gentemque, urbemque nefandam,
Imperioque Dei vates extrema minatos
Sacrilegis, miseram historiam his complectere dictis.
Fatidici sacra forma Viri cum pergeret ire
In Bethel, portis proles effusa ruebat
Parvula non dubitans certatim illudere sancto.
Calve, ascende; ascende, o calve, strepebat acutum
Turba procax: alto colles clamore resultant.
Vates, cui tonat ore Deus, cui pectore duplex
Spiritus, ignitis arsit quo nuper Elias
Raptus equis, curruque volanti, et turbine caeco,
Respicit, afflatuque Dei non ista ferentis,
In pueros prave irridentes dira precatur.
Ecce duo e saltu vasta se mole moventes
Irrumpunt ursi. Horrificant in corpore villi,
Ignescunt oculi suffusi luce maligna,
Et rictus livent sanie, spumaque redundant.
Auditi hinc saevire, avidasque recludere fauces
Visi, dum ungue in caedem quadrupedante feruntur.
Exangues monstro pueri trepidare, ululare,
Auxilioque vocare patres, et tendere ad urbem.
At frustra. Antevolat velocior una ferarum,
Arripiensque locum, unde ad moenia semita ducit,
Rursus in adversos celeri redit improba cursu.
Tunc miseri diversa fuga petiere: sed obstat
Altera. Clamor ubique, et ubique extrema cadentum
Verba: cruor fluit exundans, quo infecta rubescit

Terra: tremunt rabidis calidi sub dentibns artus,
Dispersive jacent: ora hic, semesaque colla,
Rapta illic squallent laniatis viscera costis.
Quadraginta duo puerili ex agmiue sacrum
Irridere Virum semel ausi hac clade perempti.

EUSEBIUS

AD MARCELLINUM

LIBER TERTIUS

Argumentum

Qua ratione, quibusque auxiliis innocens vita ducatur. Luxus damna frugalitatis, ac paupertatis amore arcenda. Institutio, et disciplina in educandis pueris veterum exemplis confirmantur. Via, et ratio latinam linguam edocendi. Exercitationes roborandi corporis caussa, inter quas aucupium, cui nomen a noctua. Artes animi corrigendi, atque erudiendi. Praecipua religionis, et pietatis officia. Ad extremum egregii pueri laudatio.

Hactenus infantis cultus, praeceptaque prima:
Cresce, puer: canere incipiam tua munera: disces
Castum alere ingenium, corpus firmare: labori
Nec deerunt lusus, purae nec gaudia menti.
Virgo potens coeli, tenero exorata puello,
Una salus pueri, faveas voto. Igneus ut sol,
Postquam aurora fugam sudo properavit olympo,
Succedit rubicundus equis, nec devius errat;
Fac roseo exoriens vultu pueritia, primum
Quando aevum cessit, culpae caput exerat expers:
Signatum coelo secat ille fideliter orbem,
Haec certum teneat cursum, et data jussa facessat.

Vanis prima aetas studiis stolidissima peccat:
Mille cupidinibus furit undique caeca juventus,
Pejorique senile aevum sub crimine pallet.
Nosce mali causam: amenti de nomine GraI
Dixere anoiam: potuissent addere Diris,
Culpaeque, umbrarumque, erebique sonare potentem.
Ipsa minor cerebri, et curarum nescia, septem
Cornua fronte gerit totidem foecunda malorum,
Praecepsque in vetitum retro lentissima cedit.
Haec pueros, juvenesque rapit per mollia prata.
Heu fuge, vipereis tellus tumet alta chelydris,
Retia graminibus latitantque dolosa: at avaros
Foeda senes nodo sibi nectere gaudet alieno.
Illi ars deterrere dolis, et inanibus umbris,
Ne prudens animi meditere miserrima fata
Pravorum, ne laeta piae data praemia vitae,
Neve effata Dei, fideive arcana verendae.
Abnueris; non victa tamen vesana recedet;
Sed petet, ut mittas in crastina tempora curas.
Care puer, fraudemque tene, curamque cavendi.
Surge animo: immensum meditare Deum, atraque ditis,
Laetaque regna poli: ratio non pauca, docebit
Plurima lex; tamen alma Fides majora recludet
Ore indicta alio sic ultro affata sequentem:
Nondum tempus erat, res nondum, elementaque rerum,
Quando Deus sine principio, sine fine beatus (tor.
Trinus, et Unus erat, Superum hinc, hominumque crea-
Ut Deus ecquis? Lucem ecquis erumpere jussit,
Ense vel aureo armavit Oriona, Pleiadesve

Discrevit, gyrove alto vallavit abyssos?
Quis mare littoribus clausit, dixitque furenti: (ges?
Huc venies usque, hic rabiem, hic tumida aequora fran-
Ut Deus ecquis terribilis? De naribus igneus
Ascendit fumus; nox mentibus incubat atra.
Ipse idem super astra sedens cita fulgura mittit:
Illa volant, rauco et redeuntia murmure dicunt:
Adsumus: ardua terrarum, campique tremiscunt.
Major at ira Dei non exorabilis ardet,
Clausere ut pravi lethali lumina somno.
Ad loca nam sontes animas lugentia pulsas
Infrendens torquet furor, et discordia demens,
Undantesque rotant piceo sub gurgite flammae,
Horribiles flammae sine fine, modoque furentes.
Mitior abruptis nempe tonat Aetna caminis,
Lenius et ventis luctantibus aestuat aequor.
Poena aeterna sedet squallenti in margine, et addit
Mille faces flammis, et flatu ventilat ignes.
Contra nubiferos tractus super, et super astra
Aula Dei aeterna coeli in regione coruscat.
Hic Deus, ipse Deus functis virtute videndum
Se praebet sine nube, patenti et numine habendum.
Oh quae lux animas beat! Oh quae gaudia sancta
Continuat nullum pax defectura per aevum!
Turba deiformis sanctum ter voce salutat,
Regnaque ter sanctum ingeminant coelestia Numen.
Numen io! Cecidit capitum mala bestia septem.
Numen io! Cytharaeque canunt, ac tympana plaudunt
Littore erythraeo celebrare edocta triumphos.

Verba arcana loquar? Nobis Deus ipse loquetur.
Munere pro tanto, tanta sub vindice poena
Tu, moriture, breves dubitas durare labores?
Talia mane pius sacro explanata libello,
Sive alia, ut feret ingenii vis, fac puer aevo
A tenero morem meditandi inducere tendat.
Ne contemplanti bene cedat mitte timere.
Impiger at coeptis insistat, spemque, metumque
Inter virtutis statuat jam certus amator
Quid fugiat, nisu vel quid majore sequatur.
Annuit Omnipotens: pueros ad seria vertit:
Illecebras adimit vitio, monstratque venenum:
Praedarique vetat luxum, mentemque moveri:
Stultitia incursat frustra, dictisve lacessit.
Munere inornatam tanto tibi crede nefastam
Diluxisse diem: fuge at altera, et altera currat
Hac culpanda nota: luderis imagine falsa,
Et ventos pasces, volucresque sequere volantes.
Interea morum levitas, ceu fama per urbes,
Flammave per stipulas vires acquirit eundo.
Vana placet novitas. En multi veste parata
Immodico luxu, nimiove coloris honore
Dant pueros uti, dant lascivire puellas.
Hos pulchros, pulchrasque vocat dementia patrum:
Plausu turba fremit famulum, meliora neque addit.
Sic temere damnosa serunt quot semina in agris!
Aspera sylva riget, virosaque gramina crescunt
Exitium segeti, et pecori immedicabile tabum.
Ne me, Mercelline, puta formidine vana

Perculsum tragicam in nugis attollere vocem,
Moris ad arbitrium externis venientis ab oris
Aspice concinnum puerum: mirabere pulchra
Veste ferox tenero quid jam meditetur ab ungue.
Ille sibi plaudit: volvit furtiva superbus
Lumina: formosum se venditat, atque beatum.
Molliter en cursare, gradum en suspendere gestit:
Ridet, ineptit, amat vanae praeconia formae,
Et se non visus transversa tuetur in umbra.
Ah prohibete nefas, crudelia tollite dona;
Vestesque, et formam pudeat laudare decoram!
Hinc primae illecebrae, hinc irritamenta malorum,
Hinc tandem erumpet ventoso gloria curru.

Candida pauperies mater generosa virorum
Exemplo, rigidique potentior ore magistri
Indociles animos mollit, fingitque premendo.
Est vere domus exilis, qua pauca supersint
Vix paria adversis sub tempestatibus anni;
Sed tenues ipsi, experto mihi crede, monendo
Ni saepe ostendas inopes, sua cornua tollent.
Res media est puero? Credat, fac, esse pusillam,
Utere at eloquio simplex sine fraude diserto.
Grandior est? Ingentia rura ostende potentum,
Et moles, et opes, atque atria fulta columnis;
Divitis et scabiem ponet, natumque labori
Se credet, sine quo nec res, neque constat honestum.
Sum locuples. Non ipse velim tua commoda dives.
Scilicet in magnis opibus grandescere virtus,
Ingeniumque valet majora movere; sub illis

Saepe tamen mala causa latet, cubat horrida pestis.
Haec culpaturus sciat ipse notare Platona (7).
Nemo ergo id studeat, quo sit ditissima proles:
Non est hoc patriae, non caris utile natis:
Optimus is juveni census, qui congrua vitae
Sufficiens, mellita jubet procul ire loquentes.
Gnato igitur non auri multum, at linque pudoris.
Fortunae instabile ingenium, moresque malignos
Adde super, puer et noscet quid perfida ludat.
Res hominum, folia ut rapidis ludibria ventis,
Turbantur, dum saeva fugit stridentibus alis.
Fortunae diffide, puer: contemne fugacem:
Fac praesens miseris, fac auxilietur egenis:
Neve supercilio perdat fac dona superbo.
Quam bene si haec moneant exemplo, atque ore parentes!
Incipe, dux generis, cui pars est prima docendi,
Quippe auctor sobolis tu custos, atque magister.
A cara fortis divelli prole recusa,
Avocet etsi res privata, aut publica; utrisque
Inservit, natos qui ad leges format honesti.
Sin vere nequeas rectoris munera obire,
Ne parce officiis, ullo ne absiste labori
Virtutem docti inventurus, opemque magistri.
  Ingenium cui sit, recti sapientia mater,
Prisca fides, altumque cor immersabile rerum
Fluctibus, et pia Relligio, perspectaque saecli
Tempora, mature puerum committe regendum.
Felix, qui talis, qualem decet esse magistrum!
Hic virum odoratur, legit hic e millibus unum

Doctorem facilem, correctoremque verendum.
Sin rudis, indoctusve in rebus hebescat agendis,
Prudentes adeat, sed lumina magna, virumque
Moribus ornando puero, studiisque colendo
Exoret, supplexque fidem extorquere laboret.
Ne tamen in vanos labatur cura labores,
Haec adverte. Vagus mercator per mare currens
Quaereret ut frustra nautas, navique magistrum
Non mercede data tenuare potente pericla;
Doctorem studio sic tu venabere inani,
Ni magna, ut poteris, virtuti praemia pones.
Doctus Aristippus qua nam mercede rogatus
Instituat puerum, catus apte risit avarum (8).
Postquam conciliata viri custodia docti
Hunc colito, imperioque dato, arbitrioque licenter
In sobolem, cari studio complectere amici.
Exemplo induet hos animos puer, induet ipsa
Mater, tota domus secum, et vicinia tota.
Moribus hunc venerare tuis: reverentia talis
Debita rectori: hac sine honesta et munera sordent.
Vir Macedo ut nato est auctus, re splendidus auctor
In magna dignum nancisci rege magistrum.
Sed praecepta valent quid contra exempla parentum?
Doctus Aristoteles munus suscepit iniquis
Auspiciis patre sub turpi, sub matre superba.
Hinc laudis vesanus amor, regnique libido
In puero, inque viro ira gravis, metuenda et amicis.
Noscis Alexandrum. Praedo hic populorum, Asiaeque,
Europaeque humano infecit sanguine campos.

Terrarum hoc coram siluit perterritus orbis:
Hoc moriente, suo scissisque a milite regnis,
Risit inexpletum caruisse baerade tyrannum.
Quam melius pietas dum, Relligioque vigebat,
Itala nobilitas, per te fuit itala virtus,
Et belli, et pacis, Sophiaeque, et Apollinis artes!
Nam tunc parca domi, in rebus sed splendida honestis
Tu mercede viros quaerebas undique opima:
Inventos puerumque corona, et honore colebas,
Virtutisque exempla dabas laudanda magistris,
Exaequanda tuis: Deus aspirabat ab alto.
Gentilis pie, nec non Politiane, Camaenis
Dilecte (Urbini decus ille, hic aurea tuscae
Spes linguae) vestris ut gloria crevit alunnis!
Cui Leo non dictus, cui non Laurentius? Atqui,
Vera licet fari, illustres juvere magistri
Discipulos, magis at juvere exempla parentum.
His studiis pubes generosa calebat amore
Virtutis: dabat Omnipotens miro ordine dona.
Pisanas ipso ducente in praelia turmas,
Per mare tyrrenoque volantes remige classes
Lotario socias contra arma nefanda tuenti
Romani jus Pontificis, caligine mersi
Immerita inventi Themidos libri (9). O data etruscae
Praemia virtuti, salvete volumina sancta!
Per vos barbaries fracta, ingenioque feroci
Mens posito sensim ingenuas properavit ad artes.
Gloria Pistorii sapiens Cine, maximus ille es,
Primus ad Umbronem praedulcia carmina fundens

Ausus qui Themidi romanum inducere cultum (10).
Assyrias exosa acies, aversa rapinis
Haec Byzantina mox tandem cessit ab urbe,
Regali et titulo, et sermone insignis achivo
Libram, ensemque tenens tyrrenas appulit oras:
Secum suada potens, doctusque exercitus ibat.
Jam Sophiae patuere adytus, patuere recessus:
Jamque inventa decora domi, vel commoda bello,
Addita et astra polo, quarta et pars addita mundo.
Relligio interea juga desuper Apennini
Alma sedens pestes Erebi, nova monstraque longe
Pellebat: victrix hinc temnere vana docebat.
Concursu implentur nemora avia, et antra virorum,
Queis servire Deo, queis crimina flere voluptas.
Aurum fundit ampr miserans, coeloque reponens
Sic melius dat opem miseris, aegrisque salutem.
Singula quid referam virtutis munera, et artes?
Jam pulsum rursus video mare fervere remis:
Stant celsa in puppi juvenes: cruce pectora fulgent,
Signaque, et arma: super volitat victoria: terror
Anteit: en trepidant hostes: fugiuntque latrones:
Illi instant, magno tremit Africa terra tumultu.
Ista canant alii: gracilis modulamine avenae
Pergam ego grammatici praecepta referre magistri.
  Sumpto ille imperio, doctique in limine regni
Quid modo grammatices, Sophiaeque novantis alumni
Clamosi inter se certant super arte loquendi,
Scribendique, viget qua vi rationis, et usus
Componet, mediusque viam tutissimus ibit.

Octonas partes, queis namque oratio constat
Expediens, certisque notans discrimina signis
Doctor quid pars quaeque velit sibi, quidque recuset,
Singula monstrabit ratione, magisque petitis
E medio exemplis. Nempe haec intelliget apte
Explanata puer; non multa hinc nomina, verba
Hinc non multa neget memori ni tradere menti,
Materno sermone elementa, et jura loquendi
Discet: tum certus lare, tum juveniliter audens
Non dubitabit agente magistro, et viribus auctus,
Quippe tenet praecepta viae compendia longae,
Per Latium ruere, inde bonas visurus Athenas.
Musa, mihi memora praestantem hac arte magistrum.
Filiolum ille vir ut menti mandasse tenaci
Prima rudimenta agnovit, tibi gratulor, inquit,
Jam lepidum poteris manibus versare libellum,
Et volucres mira arte, ferasque ita habere loquentes,
Nulla ut inesse queat dictis prudentia major.
Dulces versiculi, incipies queis noscere verum
Ridendo! Hinc referens bene dicta, inventa jocose,
Argutosque sales festivi dona libelli
Ingenium pueri inflammavit amore legendi.
Venit ut ad medium auctoris, formosior alter
En prodit: data laus operi quam maxima: doctus
Commendare, novos animum inducebat amores;
Astu inconcessis cupidum torquebat amantem,
Ante legenda libri dum tradita pagina restet.
Non te detineam multis: puer helluo factus
Librorum, romana, ut scripta domestica novit,

Aususque hoc pacto grajos recludere fontes.
Nec tamen illi aetas prima lanugine malas
Vestibat, neque acuta marem vox versa sonabat:
Eloquar, an sileam? O lex immiserabilis Orci!
Clarior haud alter quamvis, si vita maneret,
Occidit ille puer, ceu flos succisus aratro.
Naturae misero male ne perterrita casu
Frangatur mentis vis, neu labor excidat, audi.
Alma salus roseo auspicium ni fecerit ore,
Non operi, aut studiis juvat indulgere severis,
Hac duce quis dare se studiis, metuatve labori?
Vim stimulat labor, a stimulo vis excita crescit.
Vis morbos prohibere potens, et vincere natos.
Vix credam vehemens damno studium esse saluti;
At quando tulit hoc amor, et doctrina magistri?
Ille tenet, studii non tempestiva nocere,
Haec ergo avertet, lususque, jocosque parabit.
In primis bene mitis equi considere dorso
Convenit, imbellique ausu contingere habenas,
Non temere, at custode dato, socioque fideli.
Sic crescunt animi, durescunt corpora: jam jam
Ire licet qua fert animus, discurrere aperto
Jam campo, gressuque solo insultare sonanti.
Dum sol ardentes vomit igneus axe vapores
Et placet, et prodest fluctus tentare; lacertos
Tende, puer: tibi cum pedibus manus utraque fluctus
Mota trahens, retrahensque vicissim remiget; ipse
Nam calor egelidis suadet colludere lymphis.
Abscissum terris audacia carpere pontum

Instituit, ratibusque undas calcare: periclo
Hinc propiore, artem juvit didicisse natandi.
Difficiles amnes, et stagna horresco maligna;
Flumina pura, marisque sinus placuere quieti;
Longius haud renuet puer hinc se credere ponto,
Dum levis aura vocat, cauti imperiumque magistri.
At volucri certare pila nil dulcius; annis,
Laetor adhuc, primis mihi erat dum grata voluptas
Ludicrum jactare globum, aut revocare cadentem,
Tympana parva instructa gravi de robore circlo
Reticulis meliora manu ludi arma tenebam.
His pila cum sonitu datur, his vehementius icta
Redditur, exigua et vi, dum artem, ac tempora noris.
Ite procul, segnes: hic nostra palaestra calescit,
Artus mobilitate vigent, jactuque lacerti,
Excursuque pedes: pulsae sub verbere signant
Mens, oculique pilae intervalla volantis in arcum.
Sunt qui vipereo vitandum sanguine credant
Cautius hunc ludum: sudore fluentia membra
Horrent, collecto feriant ne frigore morbi.
Non ego concedam, Tiberim transnare profundum
Post ludum, suevit ceu quondam romula proles.
Quin etiam recubare solo, captare sub umbra
Auras, egelidaque sitim veto pellere lympha.
Saepe alias arsere febres, crudique dolores.
Non ita, si tutis includas corpora tectis,
Exsudans dum sponte sua deferbuit humor,
Et pulsant placidi irrequieto sanguine motus.
Ut calidi cessere dies, fugere tepentes,

Alpina et volucres juga linquent, laeta Dianae
Munera concede: ipsa potens domitare sagitta
Virginea, quod aluut sylvae, campique animantum
Castis casta favet pueris; fuge tradere at illis
Instrumenta necis, rutilumque imitantia fulmen.
Haec tractanda, quibus mens apta cavere periclum.
Sectari lepores catulis, quos Dania mittit
Laudo: at priva loca, et nullis horrentia sylvis
Ni teneas, optabis inops concessa potenti,
Et sanis risum, pueris fastidia quaeres.
Aucupio gaudent pueri: gaudere licebit
Lege hac, ne sedeant nimium, nimiumve quiescant;
Tardi aliter fient: prior hinc, meliorque voluptas,
Qua laeti excurrant, monitisque utantur honestis.
Tale est aucupium, cui nomen Pallados ales
Fecit. Mane novo, mordent cum frigora, lecto
Surgendum, factisque sacris, precibusque solutis,
Continuo in campos, ubi densae vimine saepes,
Excurrendum. An aves a rubro pectore dictae
Iisdem habitent explora: respondere canenti
Sunt solitae, si recta canas, fraudemque recondas.
Ecce salutanti similes, similesque vocanti
Cespite considunt patulo, volitantque frequentes.
Ergo age, arundineis viscatas eripe virgas
Vaginis, mediaeque acclines insere saepi.
Palladiam qui portat avem tunc capsula aperta
Emittat: fixum terrae, circaque videndum
Commodius latum in summo petit illa bacillum
Vertice, purpureo solitum splendescere panno,

Atque sedet. Motare caput, se attollere, nunc se
Contrahere, inde volare, modisque jocosa protervis
Ludere festinat: pedibus retinacula pendent,
Lumina tincta croco, maculosae in pectore plumae.
Hac visa linquunt latebras, frondosaque tecta
Credulae aves, dubium qua nam dulcedine tactae.
Nec mora, nec requies; at itu, redituque celebrant
Dum noctis volucrem, calamo sensere tenaci
Stare pedes. Puer, accurre, et stridore gementes
Corripe; si tardas, pendentes corpore toto
Fallaci e virga sese demittere tentant.
Quae fugient alio tendent, ubi noctua rursus
Illis objicitur: sedet alta mente periclum,
Pulsanturque gravi graciles formidine fibrae.
Sunt tamen audaces, sunt quae sibi posse cavere,
Atque manere putent, dum infectas glutine virgas
Vitent, quas saepi impositas pendere notarunt.
En reptant per humum, longinqua aut parte morantur.
Subridens hic Custos: res est cum alite docta:
Sat mihi, si redeat. Sic fatus callidus aptat
Armatas visco insidias qua ventitat audax.
Capta ave vel pueri discent, stultum esse periclis
Versari. O pueri, vobis hoc sumite dictum.
Interea certate dolis, durate laborem,
Dum sol occiduus properet se tingere ponto.
His, aliisque hoc de genere oblectare juvabit
Ingenuos pueros, viresque excire repostas.
Mitte leves choreas: sat rectis sistere talis,
Incessu, atque statu sat se praebere decore.

Musica nata sacris, temploque, et Numinis arae,
Te laudo: at memor esto tui, coelestis origo
Namque tibi, at fuge, quae doleo placuisse theatris.
Arceo lascivae modulamina vocis, et odi
Quae cantor gravis effutit, vel ineptit acutus.
Illa venenato vitiant cantamine mores
Illecebris capiunt animos, auresque susurro
Titillante, cient labefacto in corde furores.
Musica casta, redi, nostrumque tenebis alumnum;
Qualis nunc, puero indigna es, neque honesta puellae.
Sint potius lusus animi, et sine felle lepores.
Naturam pueri ludenti carpere risu
Expedit, indocilis quando indignatur habenas.
Ars decet ista sophos, ars docta, et amabilis: albis
Dentibus haec ridet: nunc fingit commoda facta,
Nunc docet historias, dextro dum tempore vincat.
Sic tollit pavidum, audacem terroribus implet,
Fraena voluptati innectit, dominatur et irae.
Nobilis ingenio puer, iracundus at ultra
Naturam pueri, ipse idem temerarius, omnem
Rem solitus, magnoque domum turbare tumultu
Dicitur hoc domitus factum narrante magistro.
Acer erat canis armentarius: ipse fidelis
Pastori a tenero latrans servabat ovile:
Formido hinc furum, debellatorque ferarum.
Mane venit pastor: balant cum matribus agni:
In medio caedes, oviumque cadavera multa
Aggesta in cumulum: canis orridus ore cruento
Excubat ad tumulum, ceu quid servaret, heroque

Attonito cauda, et gannitu vocis adulat,
Ambiguum blandiri, an se excusare laboret.
Non tulit hanc speciem solitus saevire furore
Upilio, atque canem trepidantem, et frustra ululantem
Fistula ab ignivoma transfixit missile plumbo.
Praeceptor stetit hic, puerilia et ora notabat.
Tunc puer auditor: bene ita; atque expalluit ira.
Prosequitur tristis commoto corde magister:
Post paulo pastor misero deducit acervo
Corpora. Vah! Jacet in fundo canis ore peremptus
Mole lupus grandi, sub praeda, ut credo, sepultus
A cane, vel poenae indicio, effugiive negati.
Hoc visu pastor contundere pectora pugnis,
Se miserum appellare, loquenda, tacendaque fari,
Voce vocare canem, et barbam, et convellere crines
Fervidus instabat pagi fabella futurus.
Sensit ridiculum puer, erubuitque superbe,
Acres ut, calidique solent. Sic tempore ab illo
Mollior, et quando asperior, sat dicere: pastor
Te salvere jubet, risu ira et fracta cadebat.

Cum nugae haec faciant, quid non sperare licebit
Historiae a monitis? Haec vitae docta regendae
Auribus instillanda, legenda, colendaque multum est
Praesertim sacra, ut cecini. Scripsere latini
Historias, Grajique viri, quorum inclyta facta
Ignorare nefas, moresque, artemque diserte
Narrandi, qua non audire, at cernere credas
Res gestas, adeo eloquium, juncturaque pollet.
Non tamen his scriptis maculae, ut monstrante magistro

Cognosces, desunt; quin ambitiosa, superba,
Falsa quoque occurrent, quae, ni graviora, frequenter
Historico objicies, cui relligione profanum
Sit cor, vera neque afflarit sapientia mentem.
Magnanimi heroes saeclis narrare futuris
Lecti, quae Deus omnipotens ab origine prima
Ordine disposuit miro per tempora sena
Promeritis nunc clara viris, nunc foeta triumphis,
Nobilitata malis nunc, seditione, dolisque,
Quam laetor, per vos haec sacris condita fastis
Quum lego! Per vos affulsit late undique verum
Terris, obfirmata Dei atque oracula factis.
Optime praeceptor, seges hic uberrima fandi.
  Sacrae seu tamen historiae, studeasve profanae,
Monstrent astrorumque situs, terraeque figura,
Sole sagittante indomiti qua parte calores
Debacchentur, acuta gelu qua bruma rigescat,
Et qua perpetuum laeto ver floreat anno.
Quique bibant Nilum, Euphratemque, Istrumque profun-
Et qui flumineis cingantur ut aequoris undis: (dum,
Quaque fuit Thebe centenis inclyta portis,
Quaque superba Tyros, non fidae et moenia Byrsae,
Quaque urbs Byzanti gemini manet arbitra ponti.
Sunt sua dona locis, loca gestis claraque rebus.
Quae rerum species, Naturae quantaque regna
Visenda et puero! Puerili aetate vigescit
Vis memor his studiis, talique aptissima ludo.
Audis nonne puer primis numerare ut ab annis
Audeat arboreos foetus, arbustaque vitae

Commoda: nunc frugum, nunc semina multa animantum?
Narret ubi effosso candescant marmore montes,
Nigrescant chalybes, fluat amnis turbidus auro?
Sed restant graviora. Idem qui moenia, et arces,
Qui mare, qui populos alio et sub sole calentes
Noverit, ipse duces per iniqua viaeque, marisque
Claros, regnorumque vices intelliget ultra
Quam puerum poscas, et secum haec ipse revolvet:
Ergo sola beat virtus: Fortuna suisque
Insultare solet, virtus ni obsistat amica.

Felices quibus haec placuere! beatior ille
Rectus temporibus dubiis, rectusque secundis,
Non peritura sequens, contemptor laudis, et auri,
Cui leve ferre jugum Christi dulce, atque decorum est.
Hic Superum ordinibus functus virtute colendus.
Quid melius sperare licet? Deus ipse volenti
Aspirat, sed inest homini haud violanda voluntas:
Regina ipsa sedet menti dux libera vitae.
Recta voluntatis dabo signa, modumque regendae.
Vult bene, cui nihil est potius virtutis honore.
Legis ad imperium gaudenti fingere mores,
Doctrina accedat gravis, et pietate Sacerdos,
Cui se committat, sua dictaque, factaque pandat.
Foedus amicitiae sanctum! Te Tartara dira
Pallent, injectoque rubore abrumpere tentant.
Ah! puer, ah ne tanta animo dementia crescat!
Omnipotens pugnare dabit, cecidisse negabit;
Deficit ac si vis, acceptave plaga retardat,
Naturae vitium, viresque agnosce caducas,

Spe bonus at confide, sacro te aperire ministro,
Solvere cui scelerum, cui vincla ligare potestas,
Ne dubita: imo dolos culpae, ambagesque reclude
Cum gemitu, infixasque animis ostende sagittas.
Culpa catenatis pelago sic mergitur ulnis:
At redit alma salus, redeunt at munera sancta,
Et licet insignes ex hoste referre triumphos.
Angele, amore pio tua me quam ludit imago!
Sive etenim pueros rectum, sincerave dicta
Edoceam, dulcem seu Relligionis amorem,
Angele, te video, aut videor te ubicumque videre.
Difficile est adeo castum deponere amorem?
Aestas nona cadit, ex quo te funere mersum
Deflevi, aeternumque vale tibi carmine dixi,
Lenimenque mali sperans dare carmina posse
Tentavi haec etiam; at crudescere saevior idem
Durat amor, memorique negat decedere corde.
Cuncta, puer, memorant te, vocem, atque ora recordor,
Et studia, ingeniumque, viro et dignissima verba.
Commoneo at quando majores esse colendos,
Atque magisterio decus, obsequiumque ministro
Praestandum sacro, et tua dicta, animosque revolvo,
(Heu quid commemoro?) erumpunt suspiria longa,
Oraque pallescunt, lacrymisque cadentibus horrent.
Care puer, doleo, renuo nec ferre dolorem;
Me dolor iste mea at doceat peccata dolere.
Hoc oro, puer, hoc facito, quoniam accola coeli
Felices inter Superos jam talia curas.

EUSEBIUS

AD MARCELLINUM

LIBER QUARTUS

Argumentum

Invocatio. Virtus, quae a Christianis humilitas dicitur commendatur: illius, aliarumque virtutum mystica descriptio. Praecepta, ex quibus cum Oratoribus, et Poëtis antiquis casta, et ad literas perutilis ineatur quasi consuetudo. Qua disciplina tradatur philosophia, ut revelatae religionis necessitas sentiatur, et sacrae literae in deliciis, et in veneratione habeantur. Historia S. Justini Martyris refertur. Bene morata rusticatio, et physicae studia ad agrorum culturam experimentis aptissima. Novum inventum, per quod modico impendio colles vitiferi, sed ovibus idonei magna fimi copia abundent. Canis venatici descriptio pervestigantis scolopacem, inventamque indicantis. Denique nonnullis monitis, et animadversionibus opus absolvitur.

Majus restat opus: juvenem virtutis alumnum,
Musarum, et Sophiae dare et agris jura potentis,
Marcelline, ausim postremo dicere versu.
Virgo, tibi septem sapientia diva columnas
Excidit, flaventique auro, et iaspide cinxit.
Omnia scis, quod poscit opus concede referre,
In pejus quando sine Te fata aspera currunt.

Te duce, compositis mitescent saecula terris,
Serpentis caput antiqui premet inclyta virtus,
Paxque oleis colles ditabit, frugibus agros.
Laudis amor, studiumque sui male perdidit omne
Virtutum genus: esse satis sentire modeste
De se jactavere sophi sine lege profani.
Heu miseri! Christo placuit sapientia major:
Ipse hominum una salus homines se temnere mandat.
Tanta humili virtus sub voce ignota latebat
Gentes, imperium praeter, nullius avaras.
Non ita Christicolas; puero comes haec data nostro
Ducendum assumat juvenem florentibus annis.
Sub ver purpureum aura volat, animaque tepenti
Laetos arva sinus genitali semine laxant.
Gramine se tellus, se vestit floribus arbos,
Persultantque vagi viridantia prata juvenci.
Florida ver dum agit aetas, irrequietaque fervet,
Relliquiae veteris culpae mala semina turgent:
Dat curas malesanus amor, fallitque latendo:
Gloria vana sequens, laudisque innata cupido
Excitat indomitos juvenili in corde tumultus.
Festinans lente humili de nomine virtus
Infernos meditata lacus, meditata colubros
Sit dux; illius ante initum nox undique, et umbrae
Regna tenent; foedi et visus caligine inhorrent.
Hac veniente fugam arripiunt, trepidantque tenebrae.
Ipsa adhibere potens oculis medicamina, et halans
Nardum, herbasque, sacro quas sedula legit in horto,
Inversa fundit collyria pyxide: sordes

Ecce fluunt oculis, habilis rimantibus umbras
Et data vis, ubi culpa sedet mala noctis amic.
Aspice: nox fugit abscisso velamine: nunc quae
Castra inimica vides, nebulis vallata latebant.
Heu! quantum armorum, quantumque laboris, et irae,
Heu quantum pugnae sceleratum suscitat agmen!
Indue loricam, bellumque, artemque parato.
Quae tibi non dederint virtutes arma, minoris
Cui partes placuere, ubi te his laudaverit illa?
Fata jubent, sociam ut recolant, dominamque salutent.
Nunc age, virtutum mores, et nomina dicam.
Quatuor egregiae, parilique aetate sorores
Omnes unanimi conjunctae foedere amoris
Delapsae auxilio terris quaeque optima portant
Dona suo sub fasce decora domi, aptaque bello.
Non tamen has cunctas juvat affectare colendo
Turmatim, at levis est animi sub tempore primo;
Vis caderet tantae non responsura cohorti:
Unam quaere prius, studioque suesce priori:
Altera ab alterius longo fit mollior usu.

Candida munditiis, niveo velataque amictu
Prima soror, ceu luna nitet sub nocte serena,
Cum plena ostendit mutuatam lampada solis.
Hanc tanto candore vides splendescere? Nosce
Quanta Pudicitiae sit gloria, quantaque virtus.
Cui munda arrisit, castosque afflavit amores
Ingenio erigitur, specieque ardescit honesti.
Exturbata malis cedunt simulacra figuris,
Vi memori, et viso tentant quae obrepere menti,

Arbitriumque tenet vitae intemerata voluntas.
Altera, cui nomen Pietas, mitissima corde,
Mitis et ore docet submissa mente vereri,
Quae Deus omnipotens modo laeta, modo aspera ponit.
Quo pia progreditur cadit ira, furorque residit:
Sub pedibus violae, retrorsum lilia florent.
Confide hanc colere ex animo, confide tenere,
Si spretus placida compostus pace quiescas;
Nam praereptus honor, laesaeque injuria famae
Irarumque minus, minus et movere doloris.
Consilio germana potens en tertia prodit.
Bis septem huic famulae assistunt, operamque ministrant.
Segnities insueta pati, imprudensque laboris,
Quam juxta ingluvies stertit, mala commoda pallent,
Aspicit has comites, intabescitque videndo:
Accelerant illae, et dominam nova jussa reposcunt.
Hanc sequere, et nosces miseris praebere levamen,
Extremaque die tibi mortem occumbere mitem
Fas erit haud fracto iustantis sub imagine fati:
Sic vult Omnipotens inopes miserantibus aequus.
Relligio at potior sanctarum quarta sororum:
Nata tonante Deo haec major sapientia; coelum
Indigitat dextra, lugentia regna sinistra:
Detumuit levis hac ventosa superbia vitae;
Quin generosa placet, violae et pallore decora
Pauperies dilecta viris ad grandia natis.
Moribus aeternum vigiles salvete sorores;
Tuque invade viam primaevo flore juventae
Suave bonus tolerare jugum: te vita manebit

Prospera; fortunae sin tempestate feraris,
Ni pugna excedas, ni foedèra sancta resolvas,
Sorte tua laetare: tenax virtutis ab ipsò
Ducit opes ferro, et victor sub caede triumphat.
His juvenem ducibus vel prima aetate vetustis
Tradere formandum oratoribus, atque poetis
Ne dubita, nec dulce melos horresce poesis.
Romani patrem eloquii, facundior alter
Quo nemo, meliorve, licet jactantior aequo
De se cum loquitur, jam tu securus amorum,
Afflavit quos sancta cohors, omni arte colendum
Ipse tuo sapiens juveni dabis. Ille tonantem
Altisono eloquio, patrum, plebisque moventem
Consilia, atque animos quo vult raptare potentem
Miretur: mox unde habeat facundia vires
Quaerat, et unde fluat lenis, gravis unde minetur.
Quaerentem auxiliare; mala ne ambage viarum,
Neu falsa rerum ludatur imagine, tecum
Fac legat arte super dicendi, Tullius ipse
Quae docuit: secum haec noctuque, diuque volutet.
Si valet ingenio, hoc pacto penetralibus hospes
Succèdet, queis apta animis sedet una movendis
Quod velit os, habitumque gerens facundia pulchra.
Eloquio gaudet prisco formosa Virago:
Est grajis comitata viris, comitata latinis,
Musarumque choro antiquum paeana canenti.
Non secus ac qui regali versetur in aula,
Surgat ut in populo major, studet impiger uti
Qua rex, qua proceres lingua, fitque aulicus ore,

Moribus, obsequio; sic qui cupit esse disertus
Ubertate potens graeca, gravitate superbus
Romana, scribens sermone fruatur utroque
Ac natus Romae, ac doctis nutritus Athenis,
Et veterum usurpet sensus, imitetur et artes.
Anne aliter vetus ille vigor, venus illa loquendo
Vincere nata velit thûscis decus addere chartis?
Formosa eloquii soboles, tu nescia flecti
Conditione alia; multum tamen ipsa fidelis,
Doctarum cui te linguarum foedere jungis
Concedes reduci in patriam tua dona referre.
Quare dum florens aetas viget, integra mentis
Est vis, dextra, oculique valent durare laborem,
Scripturus quam multa latine, multaque graece
Volve latina, atque exemplaria graeca revolve;
Unde futurus honos, jus unde, et norma loquendi:
Nobile et exemplar sit sedula apis thyma circum
Saepe volans, circum alba ligustra, rosasque decoras,
Impletura novo distentas nectare cellas.
Contrectare aliena, bene ut fabella jocatur,
Furtivis nudata vetat cornicula plumis.
Sumere qui possis contra, qui fingere sumpta
Monstrat apis: sibi quaerit opes folia inter odora:
Pascitur aurorae lacrymis, at pulvere, et almo
Pinguescit florum succo, exuviisque beata
Cum ponit ceras, cùm fundit mella, videtur
Nil rapuisse. Valet tantum sumpsisse decore!
Nec dicas: nosco exuvias; fuit aequa potestas
Semper sic praedas et convectare superbas.

Scandere nunc Helicona decet, populumque canorum
Audire, in primisque tuam, bone Tytire, avenam,
Aut Damon. Quam dulce melos, et amabile carmen!
Hos ubi versiculos calamo modulante Maronis
Audiit in scena, ut non multos, Tullius olim,
Restitit. O juvenes, ait, acta est fabula, sed jam
Consul ab integro valet hanc revocare canendam?
Ut cecinere iterum, " magnae spes altera Romae „
Commotus graviter clamavit voce superba.
Arvorum cultum quid si, pecorumque docentem,
Regicolas vel apes mostrantem ad mira creatas
Ille hunc cognorit? Quid si pleno ore sonantem
Arma, virumque pium, primaque ab origine Romam?
Utrisque oh! tantum vitae bona fata dedissent,
Qua sua scripta Maro postrema excuderet arte,
Tullius haec legeret! sibi plaudere quisque timeret.
Sic fastus, cytharaeque minae tibi, docte Properti,
Detonuere; fateris enim „ quid nescio majus,
„ Cedite, romani scriptores, cedite graI,
„ Nascitur Iliade „. Arrisit nondum aurea tota
Aeneis, armipotens nondum, sonitumque tubarum,
Et currum, rabiemque, animamque parabat atrocem.
Eloquium doceat purum, veneresque Catullus:
Albius hinc elegos, musa sed castus uterque.
Atticus est illi lepos, ars est, largaque fandi
Copia: flebilis hic, romano at flebilis ore.
Effuge Nasonem ingenii vi, et divite vena
Gaudentem facili nimium exultare camoena.
Ludere quae vellet concessit gratia: donum

Obvertit vitio: corrumpere carmine mores
Maluit, infecitque Cupidinis arma veneno.
Erubere novem Phoebo indignante Sorores:
Imperii custos Caesar glacialibus oris
Tundendum hunc Borea apposuit, nivibusque domandum,
Casto Virgilii versu dum saepe levabat
Immensam rerum molem, bellique labores.
Est regum, procerumque malos cohibere, ad honesta
Inflammare bonos virtutis honore poetas.
Romanae fidicen cytharae, numerosior alter
Quo nondum, vehemens, puroque simillimus amni,
Quae bene vivendi, et scribendi maximus auctor
Edocuit sapiens naturae victor iniquae,
Debuit Augusto, ac tantae primoribus aulae.
Nam si principibus nollet placuisse virorum,
Mollia socraticis chartis dicta ante Chrysippi
Iracundus, iners, cupidusque tulisset amorum.
Consilium interea juvenis meditatus Ulyssis
Cera Sirenum voces audire vetantis,
Lascivis vatum numeris catus obstruat aures.
Trojani scriptor belli velamine honestat
Naturam nullo, at semper canit ore decoro.
Non ita grajugenum multi; saepe arte pelasga
Pieridum gestata manu dant pocula Circes,
Saepius aut ludunt molles, vel imagine turpi,
Peccandive serunt uno mala semina verbo.
Hic posuit culpa excubias, hic retia coeca;
Hinc vocat in casses, captos ridetque malignum.
Tu, mihi crede, legas veteres, relegasque poetas,

Pagina clausa oculis sileat minus apta pudicis.
Recti amor, et rerum inventrix studiosa cupido
Quem non moratum, quem non fecere disertum?
Dat Sophia eloquium, mansuraque carmina: rerum
Carmen inops perit, ut posito cadit aura susurro.

Ergo age, rumpe moras, puro ac te prolue fonte,
Quo vera exundat plenis sapientia rivis.
Primo animam, juvenis, nosce: haec sine corpore, et expers
Materiae terras, mare puncto temporis uno
Transvolat: immortale genus, coelestis origo
Illi est: dux meret in terris liberrima vitae,
Et sibi pro meritis poenas, vel praemia ponit.'
Admiranda animae vis: quippe intelligit, et vult,
Et memor est: qua mente viget, valet apta ferendo
Judicio: vult sponte sua, quo libera praestat
Arbitrio, perculsa boni dum fertur amore:
Et qua vi reminiscitur, omnia cogit in unum
Jam primum volita, intellectaque. Sic magis aequa
Fit judex meditata vices, et pondera rerum.
Praeceptor monstret, locus hic, qua lege, modoque
Armamenta potens ratio desumat, et unde
Argumenta premant, cogantque erumpere verum.
Ars bona, si cupiens veri; sin fraudis amica,
Hostis iniqua: tamen formas ducente magistro
Noscere larvatas, refringere et arma licebit.

His opibus juvenis se primam attollere rerum
Contendant Causam: contemplans mira per orbem
Millia, Principium aeternum unum existere credet.
Hoc sapiens erit, imo eadem sapientia. Flammis,

Sol o, qui totum lustras circumvagus orbem,
Luna potens coeli, terraeque, marisque tumentis,
Astraque tot motus certo peragentia gyro
Dicite, quis vos imperiis sic temperat aequis?
Lilia dic, tellus, quis vestit, gramina campis,
Arboribusque comas, campisque inducit aristas?
Auriferis qua vi pallescit America venis,
Et qua, si Italiae desunt haec noxia dona,
Marmore Luna nitet, chalybum nigrat Ilva metallis;
Quave globos ignis torquet, liquefactaque saxa
Vesevus, dirumque gemens tonat Aetna caminis?
Dic, pennata cohors, duce quo coecum aera tranas,
Orbe alio et nostras sapiens petis advena terras,
Quove canis, nidosve struis tam docta magistro?
Quis dedit accipitri plumescere, et unguibus uncis
Convectare angues pullis implumibus escam?
Hinnitum quis equi collo circumdedit (11), et vim,
Ingeniumque fero adjecit, naresque superbas?
Ungula humum fodit, arrecta et cervice comantes
Excutiens per colla toros ruit obvius hosti.
Hasta super, clypeusque sonans, et foeta sagittis
Concutitur pharetra: ille pavere, et cedere nescit.
Exilit ante tubam, campumque infertur apertum,
Alipedique viam cursu sorbere videtur.
Buccina cum cecinit, dices: vah! sentit odora
Vi bellum, generosa ducum bibit arduus aure
Dicta, ululatum exercituum, gemitumque cadentum.
Ergo etiam ex parvis constat divinitus esse
Principium omniparens, cui nos, atque omnia nostra

Debemus: statues hinc relligione colendum.
Hoc homo cum nequeat complexu cingere mentis,
Nosces nec dare posse parem, neque fingere cultum.
Ergo sacra Deum decuit sua pandere: ritus
Relligio en docuit, arasque, et templa sacravit.
Huicquoque Principio, in quo vivimus, atque movemur,
Nos studii, officiique reos fateamur oportet.
Sentimus animo recti data semina; divum
Ni tamen assurgat lumen, mens saepta tenebris,
Tunsa cupidinibus non suetis foedera inire
Nesciet officii veras evolvere partes.
Coelitus inde necesse fuit vox missa sonaret.
Vox diva insonuit: cultum, et mandata tenebrae
Nulla tegunt, et aperta patet sacra pagina libri.
Gloria librorum, salve, o sanctissime codex.
Te duce tartarei cesserunt regna tyranni.
Fatidicae sortes, populorum fata, vicesque
In te scripta manent: oracla haec nuncia veri
Testatur transacta aetas, hodiernaque firmat.
Quid portenta canam per te vulgata per orbem,
Quorum etiam historicis prostant monumenta profanis?
Quidve alia, unde nites, divini signa decoris?
O liber haud frustra tantis erepte periclis,
Quo bene noscaris tua sat sapientia: nempe
Plena Deo ortum te divino a fonte revelat.
Scripta volente Deo bene consule: mentibus hinc lux
Exit, ut eois mundo sol aureus undis.
Divinis latitans at chartis Numen adora,
Auxiliumque dabit praesens in vota vocatum.

Ne temere sapias, Ecclesia nescia falli
Assidet interpres, et iota novare recusat;
Sexaginta decemque has jussis reddere graece
Fama stylum, cunctisque sonat verba una fuisse.

His animadversis, laetor quod vivere fastis,
Grande rudimentum Sophiae nunc accipe: ab altis
Edere principiis tantam rem proderit, etsi
Non tenuem poscit, sed amantem grandia musam.
Antiquae civis Sichem Justinus amore
Flagrabat veri: quos rerum Graecia causas
Garrula prudentes jactabat pandere, adivit.
Sub sapiente choro quot non tulit ille labores?
At species veri centum mutata figuras
Spe miserum lactans cura fallebat inani.
Queis ideis Plato, queis formis sine corpore pondus
Addidit en furit undisoni prope littora ponti:
Quin ardens animis veri contingere metam
Jam sperat, magnum meditando et noscere Numen.
Cum subito senior, splendent cui lumina, ut astra,
Cui gravis incessus, placido cui gratia vultu,
Accessit juvenem, quaeque illi cura recurset
Conscius, attonitum viso, nec certa putantem
Talibus affatur: per nocte tacentia regna
Anquiris vana lucem male providus arte.
Verborum ambages, et inania nomina linque,
Stulta quibus miseras ludit sapientia mentes.
Nemo Deum praeter sceleratis promere terris
Quit virtutis opes, divini et lampada verbi.
Ne dubita: Deus ipse haec protulit: ipse creando,

Servandoque homines nimio dilexit amore,
Donaque digna Deo, digna et concessit amante.
Nube sedens, caderet ne mens sub lumine tanto,
Insignes animas divino contigit igne:
Fontes monstravit veri sine littore natos
E ponto: tonitruque sonanti, et fulmine nubes
Diffidit insolita sternens formidine corda.
Ullaque ne insano veletur nomine culpa,
Dicta arcana loqui, chartisque inscribere jussit.
Tolle librum, atque effata Dei lege prodita mundo.
Quae docuit Moyses semper repetita vigescunt:
Quotquot enim cecinere sacri longo ordine Vates,
Aut quotquot vixere pii, fortesque virorum
Firmarunt eadem concordi pectore, et ore.
Non acies nisi ducta Fide tulit ulla triumphos;
Hac duce testata est verum vel prodiga vitae.
O dux ignorata malis, despecta superbis,
Simplicibus comitata choris, et milite forti,
Sancta veni, vultusque potens ostende verendos.
Tu sperandarum, alma Fides, substantia rerum,
Quae non apparent tu demonstratio certa;
Inclyta post mortem per te quot nomina fulgent!
Verbo aptata Dei per te incunabula solis
Noscimus ex nihilo, magni et primordia mundi.
Te sine quis potuit placuisse Deo? Esse Deumque,
Tergeminumque simul potuit cognoscere, et unum?
Credere quis poenae in partem, regnique vocata
Corpora disruptis exsurrectura sepulcris?
Quisve Deum in terris oriturum e Virgine matre

Lurida tollentem veteris contagia culpae?
Sancto afflante Deo conceptus, Virgine natus
De matre implevit vatum sacra carmina Jesus.
Natura hunc novit stupefacta, suique negarunt.
Hic mortem vicit moriendo, Erebique frementis
Impulit aeratos revoluto cardine postes.
Ausim tanta tibi divini pignora amoris
Pandere? Tolle librum, et legito, agnoscesque legendo
Auctorem Fidei, defensoremque potentem.
Vince Deum at prius orando: riget aurea lucis
Janua, ni prece non alia reserabilis arte.
Sic ait, et subito velut umbra recessit in auras.
Devius in sylva caeca sub nocte viator
Si quando exlulantque ferae, et magis ingruit horror,
Haud procul ingentem videat flammescere taedam,
Qua micat illa ruit, non extricabilis error
Solvitur, et certo lucescit semita calle:
Codice sic pure lecto, quo Gratia vivit,
Quo tonat ipse Deus, magno et se numine mostrat
Justinus Sophiae ambages, et caeca perosus
Ire viam arripuit veri sub luce patentem.
Mox virtute nova medios avet ire per hostes
Acer, et arma tenet quaerendae conscia palmae.
Dux esto, o fortes inter generose virorum!
Intemerata sonant Christi te vindice jura:
Nam fictis scelus illa probris ubi mille premebat,
Fraus monstrata: pius pulchro cognomine Princeps,
Et magni proceres Latii, Romaeque Senatus
Legerunt tua scripta: stupent testantia mores

Christiadum, ritusque sacros, legemque verendam.
Inde pio generi pax: at Styx arma retractans
Bella novavit opem implorare sueta sophorum.
Felle genus tumidum respersit sanguine casto
Italiae populos, et Tibridis ostia turbans
Sub caedem Europam, atque Asiam, Lybiamque vocavit
Humana heu quo perducit sapientia, ni lux
Desuper alma Dei mortalia pectora tangat!
Non ille at siluit; Ephesi qui dicta Tryphonis,
Qui cinici Romae Crescentis inania fregit
Argumenta; tua, Aureli, haud expalluit ora.
Te coram eloquio intonuit, scriptisque retexens
Relligionis opus duravit pandere verum.
Rustice, quam miserum est Regi servire superbo!
Justinus cadit, atque petit per vulnera palmam:
Judicio malus ipse heu quo te crimine damnas!

Hoc postquam exemplo, his studiis virtute severos
Induerit juvenis sensus, interritus alte
Naturam vestiget, opesque recludere cogat.
Tempus erit, ducente alio cum stare putabit
Solis equos, terram et duplici se vertere motu:
Et luci orbatae septemplice honore colores
Tres velit esse (12), neque hanc solem diffundere, at aethra
Vi trepidante levem (13): sciet et quod fulminis alas
Suscitat, hoc rapere ad septem magneta triones (14).

Nunc magis apta sequens ruris se vertere ad artes
Ne temnat, sophiaeque per inventa excolat agros.
Nonne his auspiciis privata, et publica crevit
Res? Non inde labor, non orta labore voluptas?

Talia non egomet toties cantata recanto:
Facta placent magis: his vincam juvenilia corda,
Imperium et dominis agrorum reddere tendam.
Ergo age, postremam hanc etiam, pater, aspice partem.
Aere felicem, nemorosum, atque ubere gleba,
Liber ubi, et Pallas certatim munera fundant
E multis prudens meliorem selige fundum.
Imperet huic juvenis, dominusque vocetur agelli.
Quatuor at ruri sub tempestatibus anni
Patris, amicorum, et fidei solemnia ponet,
Indigenisque epulis convivia laeta parabit
Ostensurus opes agri, et data jura colonis,
Servatosque pios mores, castosque penates.
Imberbem dominum vereatur rustica turba
Affatu facilem, antiqua et virtute severum.
Hic pestem agricolis luxum exturbabit ab agro,
Talosque, et choreas indicta lege vetabit,
Nec feret alloquiis flammas succrescere amorum.
Quin juvenes, si forte canant, laudare canendo
Te, bona Virgo, velit, vel te, dulcissime Jesu,
Et festos servare dies, nec demere ab illis
Partem operi adjectam: nam destruit illa labores
Legitimos, instillat avarum et corde venenum.
Edomitis ruris vitiis, inducere cultum
Confide: haud facient aliter data jussa coloni,
Et tellus ingrata sinum durabit inertem.
Interea ratione bonus quae inscitia peccat
Corrige, deteriora prius. Male perdere colles
Est deorsum colere, acclivesque invertere campos:

Parvaque sollicitat descendens fossa ruinam.
Certam stare jugis transverso margine terram
Areolae, ima loci superante vel aggere, cogant,
Tanta solum abruptum si forte impendia poscat.
Lentas ducat aquas pacato tramite fossa;
Sit lata, et dites coeni mirabere massas,
Queis nil felici felicius obtigit agro.
Fingere sed vites ferro, sed fingere olivas
Disce prius, juvenis: vafro te villicus ore
Falleret, ignarum tantae si noverit artis.
Imperat hic vites geminatum reddere fructum;
Illae extinguntur; non jure notatur agellus;
Multo herus et scrobibus male plectitur aere novandis.
Durescunt ramis oleae, baccasque recusant.
Altius immiti ramos contingere adactus
Ferro, obtruncatis aestum, glaciemque timebis.
Ultro praefectus ruri auxiliabitur, haec si
Per te cognosces, immotaque corde tenebis;
Sin minus, ille idem in partes concedet agrestis.
Post haec magna ovium sit cura; sata hordea campis,
Gramina sint pratis: juga vel montana per ipsas
Laeta nitent, collesque valent pinguescere, quanquam
Paupere non multus sit grex numerandus ovili.
Rem pandam: cape dicta memor, nostramque per ar-
Gaudeat alma Ceres tenui flavescere clivo, (tem
Ignotamque viam Musa audeat ire latina.
Dum madet imbre solum, glacieve liquente putrescit,
Concretumve riget, pigro vel frigore torpet,
Arva ferire nefas, scelerato et laedere ferro.

At contra afflatu tepidi dum solis anhelo
Terra calet, saltem vel sicca est, villice, surge,
Atque solum fodito, et variae telluris acervos
Congere, nutriat apricis quos Juppiter agris;
Siccatos fer deinde domum, et sub tecta repone.
Lanigerae hinc pecudes ubi pascua nota pererrant
Jam bene provisam stabulis insternere terram
Sit cura ad modulum geminati pollicis altam:
Et super impones stipulas, filicumque maniplos,
Stramentique alios quidquid minus utile ad usus.
Incubet hic, stabuletque ovium grex: Stramina, humusque
Urina, atque fimo breviter pinguescre discent.
Postquam ergo exoriens octava aurora refulget,
Et sua oves repetent non humida gramina rore
Dentato erumpat rastro, furcaque bicorni
Rusticus, et secum conjux, et sordida proles
Stramen, humumque putrem a stabulis avertere certent,
Asportentque trucem spectans Aquilona fimetum.
Cuncta hoc purgamenta loco graveolentis ovilis
In latas, pressasque juvat distendere massas,
Primo umiles: nam ad dimidium vice qualibet ulnae
Vix surgant, sensim quae ingenti mole minentur.
Foecundo toties glebosae pulvere calcis
Fornace e media, extinctoque recentis ab igne
Sparge super candore jubens prodire nivales.
Candor at hic brevis: injecta cito namque tegendus
Terra est, quam monui arentem seponere tectis.
Villicus haec teneat, totumque fidelis in annum
Jussa eadem faciat modulo, ratione et eadem

Tot gaudens similes positis super addere acervos
Urina aspergens, lutulenta et fluminis unda,
Alta quot aggesti valeant implere fimeta.
Cum caderent sylvae radicitus extirpatae
Nec terras nemorum exuviis recreare liceret
Moerentem ereptas stabulis dona annua frondes,
Quas dederant querceta, et sylviger Apenninus
Me, ratio, et mater veri experientia jure
Nacta fidem factis non ulli haec ante reperta
Edocuit: feci colles ita frugibus aptos.
Flectere at agricolas durum est: sibi robore nata
Esse rati arbitria in campos, cervice superba
Ignari insultant monitis; tamen omnia vincit
Sedulitas, et sceptra tenens prudentia rerum.
At scolopax peregrina redit: committere sulcis
Semina nunc decet agricolas: provisa ubi recte
Sint modo quae docui, rurali credere opellae
Caetera ne dubita, et securus pallida fagis
Per juga hyperboreas, juvenis, venare volucres.
Ut gravis autumnus brumali incanuit imbre
Alituum an melior gelidis venit advena ab oris?
Fructibus omnigenis, nulli damnosaque frugi
Carne fovet stomachum, recreat nidore cerebrum;
Nocte volat, sylvisque die latet hospita ad oras
Descensura maris, queis hument pinguia prata,
Densaque spina riget. Canibus comitatus iberis
Scrutando invenies. En rostro, cerne, sagaci
Hebrus ut extollens caput auras terque, quaterque
Attrahit, atque alacer, similisque secunda monenti

Praegraditur, sistit, dominumque vocare videtur.
Tandem inclinato suspendit corpore gressum,
Arrepta inque altum planta en immobilis haeret;
Cauda riget, pendent aures, vix naribus halat
Spiritus, obtutuque oculi figuntur in uno.
Arma manu cape, teque jubente excita volucris,
Dum volat, exanimis plumbo cadat icta sequaci.
Jam tibi te, juvenis, concedam: est ire necesse
Per Sophiae anfractus sine me, et discrimina rerum.
Nuper at ingenio nostram quo audire solebas
Accipe postremo graviorem carmine Musam.
Vitae aerumnosum mare currere gaudia crede:
Credes, si scabiem ponet natura ferendo,
Auri ut vena solet rapidum expurgata per ignem.
Tanta nequis? Dare amat Deus his majora petenti.
Sit spes certa fide. Nam qui haesitat, ut maris unda est,
Quae rapitur vento, scopulisque illisa remugit.
Rumpe moras: operosa fides aget una triumphos,
Interitura malo si languet lenta veterno.
Assimilo pigrum in speculo foeda ora tuenti,
Cui turpis subeant damnosa oblivia formae.
Lingua nefas mala, virtutumque, virumque sepulcrum
Turpe, fugit te virtus, indignatur, et horret!
Si clavo navis, quadrupes si paret habenis,
Fortior in toto dominatur corpore lingua.
Tu raro loquere, et breviter, sed honesta professus
Temnere disce sales, virosaque dicta malorum.
Obfirmata bono virtus sermone vigescit,
Multaque vitantur secus invasura pericla.
Lumina lege tene, frangesque cupidinis arma:

Carpit virtutem, ceu flamma uritque videndo
Foemina, flamma vorax primo sub flore juventae.
Fabellas legere horresce, historiasque docentes
Peccare, etsi Musa vocat, commendat Apollo.
Scripta nimis multa, unde alitur sapientia; fias
Ni melior, dic illacrymans, cur perdo laborem?
Quaere bonos, et parce malis: praediscis utrosque,
Si fronti male tuta fides sit maxima factis;
Sic foliis mendax fructu cognoscitur arbos.
His postquam auspiciis florens adoleveris aevo,
Justus vir, meliorque senex eris inde futurus.
Sin quando in legem tua mens ingrata rebellet,
Ne scelerum illecebris, vinclisve suesce nefandis;
Quin luctus germana, et culpae exercita curis
Pallentes demissa genas, dispersa capillos
Te vocet in lacrymas, et verba fatentia culpas.
Sontibus una salus sua crimina flere fatendo.
Non semel haec cecini; at sancita piacula tanta
Bis credam dixisse satis? Tu, Virgo, simulque
Diva Parens, tu certa reis tutela, graventur
Pondere culparum quamvis, da corda domare
Noxia, da trahere ex imo suspiria fassis
Rite nefas, miseroque tuo succurre poetae.

Propsilus haec cecini, Superum dum maxima cura
Haeres virtutis patriae, et virtutis avitae
Incepit dare jura suis Leopoldus Etruscis,
Musarumque choro, natali et spem addere Florae.
Interea, veri interpres Ecclesia mater,
Si quid Musa loquax peccavit, corrige: pura
Mens fuit, intemerata fide, tibi subdita in aevum.

ADNOTATIONES

(1) Isaias Cap. 65. 20.

(2) Div. Augustinus ait: *Quoniam exonerare voluisti (avem), jacet . . . . . . Redeat onus , et volabit . . . . . Talis est Christi sarcina . . . . . Alia sarcina pondus habet , Christi pennas.*

(3) Deuteronom. Cap. 30. 13. at 14. usque ad 20.

(4) Vide quae de respirationis animantium effectibus protulit Bichatus (*Recherches philos. sur la vie , et sur la mort*); Georgius Kellius (*Edinburgh medical , and surgical Journal nn.* 2, 3); et Gerbius (*Corso element. di Fisica T.* 4. *p.* 204). Vide itidem quae de oxygeno aere Chemici passim praedicant.

(5) Ab Homero passim appellantur homines Σῖτοφάγοι , Σῖτον ἔδοντεσ.

(6) Quod vulgo traditur ut hyppocraticum effatum *omnis repletio mala , panis autem pessima* , interpetrum arguit inscitiam in verbo πλεσμονη. Hoc enim verbo non tantum explicatur *repletio* , sed etiam *nausea* , ut penes LXX. *Cap. I. Isai. vers.* 14, et Isocratem , *ad Demoni.* πλεσμονη ἀπαντῶν.

(7) Plato *de leg. lib.* 5. *col.* 3. *litt.* B. Μη δη τισ φιλοχρημονει των παιδων γ᾽ ἕνεκα, ἵνα ὅτι πλουσιωτατουσ καταλιπῃ, ουτε γαρ εκεινοισ , ουτε αυτῃ πολει αμεινον. η γαρ των νεων ακολακευτοσ ουσια, των δ᾽ αναγκαιων μη ενδεησ, αυτη πασων μουσικωτατητε, και αριστη. . . . παισὶ δὲ αἰδῶ χρη πολλην, ου χρυσον, καταλειπειν. *Nemo igitur liberorum gratia pecuniis cumulandis incumbat, ut ditissimos eos relinquat. Neque enim ipsis, neque civitati id conducit. Sed census juvenum tum adulatione vacuus , tum rerum necessariarum non indigens , omnium decentissimus , et optimus est . . . . Liberis ergo non auri , sed pudoris multum oportet relinquere.*

(8) Plutarchus *de liber. educan. col.* 4. *litt. F.* ἡ και Αριστιπποσ ουκ ακομψωσ , αλλα και πανυ αστειωσ επεσκωψε τῳ λωγῳ πατερα νου, και φρενων κενον. ερωτησαντοσ γαρ τινοσ αυτον , ποσον αιτοιη μισθον υπερ τησ του τεκνου παιδευσεωσ, χιλιασ,

εφη, δραχμασ. Του δε, Ηρακλεισ, ειποντοσ, ωσ υπερ πολυ το αιτημα· δυναμαι γαρ ανδραποδον χιλιων πριασθαι. Τοιγαρουν, ειπε, δυω εξεισ ανδραποδα, και τον υἱον, καὶ ον αυπριῃ. *Quamobrem Aristippus patrem excordem neque inelegante, et perurbano sermone pupugit, a quo interrogatus, quantum mercedis pro filii sui institutione posceret, mille denarios, respondit: eoque exclamante, Hercules, ut valde nimium exigis, quum possim mille denariis servum emere! Proinde dixit, duo habebis mancipia, filium scilicet tuum, et id, quod emeris.*

(9) Amalphi, urbe Salerno proxima reperti fuerunt Digestorum libri, quos Pisani qui classe Lotharium adjuverant, proemio bene navatae operae sibi exorarunt. *Gravin. de ort. et progress. Jur. civ. Cap.* 140.

(10) Cinus Pistoriensis summus fuit juris-consultus, et simul elegantissimus poeta: floruit in jure civili gloria discipulorum: in humanioribus literis socios habuit Petrarcham, et Bocacium, et Cavalcantium, quibuscum conjunctissime vixit. *Grav. ut supra Cap.* 161.

(11) *Circumdare aliquid alicui* passim sonat pro *dare* penes latinos.

(12) Primigenios colores non septem, ut Newtonus putaverat, sed tres tantummodo esse Vunschii, et Prieurii experimenta demonstrant. (*V. Bibl. Britan. T.* 37; *Annales de Chimie T.* 59; *Mémoires de l' Inst. de France pour l' an* XIII).

(13) Lucem substantiam esse a sole emissam Newtonus, et praestantiores superioris saeculi Physici putarunt. Hisce autem temporibus eam non esse sui generis substantiam, sed oscillatoriis aetherei fluidi vibrationibus excitari asserunt Youngius in Anglia (*Pilosophical Trans. of London for* 1802, 1804); Fresnelius in Gallia (*Mem. de Instit. an* 1815), et Nobilius in Italia (*Meccanica della Materia T.* 2); iisque non pauci Physicorum assentiunt.

(14) Electrica, et magnetica phaenomena ex uno, eodemque principio Physicorum plerique deducunt innixi Amperii experimentis, at considerationibus (*V. Exposé des nouvelles découvertes sur l'éléctric. et le magnet. par Ampère*).